CATANÆ ILLUSTRATÆ

LIBER XII.

CIVIUM EXCELLENTIA.

Præmittitur Hiſtoria ab anno MDCC. ad MDCCXLIII.

PARS QUARTA.

OPERA, & STUDIO

S. T. D. D. VITI M. AMICO, & STATELLA

Benedictino-Caſinenſis Prioris in ejuſdem Urbis Academia Publici Civilis Hiſtoriæ Profeſſoris.






CATANÆ MDCCXLVI.
Ex Typographia Joachim Puleji Impreſſ. Acad. Ætnęorum.
Superiorum Facultate.

INDEX

LIBRORUM, & CAPITUM.

CATANA SUB BORBONIIS pag. 1.
CATANÆ ILLUSTRATÆ LIB. XII. CIVIUM EXCELLENTIA pag. 33.

CAp. I. Cives Sanctitate Illustres 44.
Cap. II. Cives Vitæ Perfectione, Morumque Innocentia Præclari 75.
Cap. III. Cives Ecclesiastica Dignitate Insignes 111.
Cap. IV. Cives Militia, Togis, Obitisque Supremis Muneribus Illustres 146.
Sub Northmannis 147.
Sub Suevis, & Gallis 148.
Sub Aragonensibus 149.
Sub Castellanis Aragoniæ Regibus 157.
Sub Austriacis 168.
Sub Borboniis 186.
Cap. V. Cives Scientia, Editisque Operibus Clari 192.
Scriptores Sacri 196.
Scriptores Civiles, sive Prophani 230.
Cap. VI. Cives Arte Aliqua, aut Fama Celebres 256.



De Inscriptis Lapidibus Appendicem, quam promiseram, in aliud distuli tempus; quum enim, tum in S. Nicolai Museo, tum in altero Ignatii Paternonii nimium illi excreverint, peculiari libro, quo de hisce Museis fuse agere est in animo, eosdem unà cum aliis vetustatis monumentis, ac numismatis noviter inventis dabimus.

Pag. 394. *lin.* 9. *post verba*: I. Novembris MDXLI. *adde*: Actum hoc anno de muniendis contra Turcarum incursiones præcipuis Insulæ Urbibus. Et Catanenses novum sibi vectigal sponte quidem imponentes, opus strenuè aggrediuntur, curantibusque Hercule Statella, Vincentio Gravina, Stephano Cajetano, ac Petro Vivicito viris patriciis menium ad meridiem prima ponunt fundamenta.

Pag. 397. *lin.* 32. *post verba*: suo loco dicemus *adde* atque in eadem Basilica consecrationis insignibus, Romano Pontifice indulgente, decoratur.

Pag. 400. *lin.* 10. *post verba*: Equitum Historia *adde*: Agente interim Catanæ Joanne Vega, Regni Comitia, mense Majo MDLII, ibidem celebrantur. Convenere Proceres in S. Francisci Minorum Fratrum Cenobio, Militare nempe *Brachium*, ita appellamus, in Sacrario; Ecclesiasticum in Templo, Demaniale in Triclinio. Panormitani, & Messanenses Nuncii, qui à nostris summâ pompa, & frequentiâ fuerant in urbe excepti, Consilio interesse ob loci præcedentiam renuerunt.

Pag. 413. *lin.* 13. *post verba*: v. Idus Augusti 1566. *adde*: Circa ejusdem anni exitum Ætna Mons deflagravit, igneosque torrentes, qua ortivum hyemale Solstitium respicit, supra Linguægrossæ opidum evomuit; quumque ad dies aliquot per subjectas regiones incendium debacchatum, non levia finitimis damna intulisset, tandem quievit. Laudatum alibi m. s. Chronicon: *Anno x. Indict. 1566. mense Novembris die prima mensis ejusdem in Monte Ætna apertum est ingens, ac metuendum os supra regionem Opidi Linguægrossę ex quo ignis ardentissimi fluvius horrificus egredi videbatur, lenè juxta morem decurrens, perduravitque ad dies*....... De hoc Incendio Natalis Comes Hist. sui temporis, Bulengerus, Bosius, Spondanus, aliique; Ex Siculis Samperius.

Pag. 414. *lin.* 10. *post verba*: non habeo; *adde*: Hinc forte de præcedentis anni Incendio intelligit, quod paullo ante sequentis initia erupit.

CA-

CATANA
SUB BORBONIIS.

Ann. Xpi. 1700 I. SÆculo xviii. ineunte Kal. Novembribus Carolus hujus nominis II. Hispaniarum, & Siciliæ Rex, humanis exemptus, Philippum Borbonium Sororis nepotem hæredem dixit, quem sub anni exitum Matriti inauguratum, universa mox Sicilia, & Catana cum primis viii. Kal. Februarii mdcc. in legitimum agnovit Dominum, ac sollemni pompa, quam typis editam habes, Regem salutavit. Sub idem tempus Andreas Pontifex sedi suæ restitutus Templis, sacrisque ædibus instaurandis, juribusque Ecclesiæ tuendis majori animi
1702 contentione, ac maturitate incubuit. Sequenti Anno viii. Idus Martii circa medium noctis spatium Ætna mons ex imis sedibus, veluti concuti, magnoque cum fremitu, ac mugitu subinde, ruptis fornacibus in Orientali latere, & *Trifoglietti* regione, quatuor ferme passuum millibus a summo vertice, liquidos, ac ferrugineos ignitos lapides triplici hiatu eructare cæpit; qui diebus aliquot in subiectas valles descendentes, amęnissimum *Calannæ* agrum veluti sepientes, pomaria, vineta, ac quidquid circum esset gignentium, summa jactura obruerunt, perennibusque insuper aquarum obstructis venis, eo subsidio incolas privarunt. Ubi vero aliis quoque terris ab eo incendio excidium impendere Catanenses animadvertunt, ad divinam implorandam opem sacras instituere supplicationes curant. Episcopus hinc Clero universo, ac Magistratu, innumeraque totius populi frequen-

A tia

tia suppliciter veniam implorantis comitatus, ad S. Mariæ de Concordia aream extra mœnia, e conspectu montis cum thaumaturgo B. Virg. Agathæ velo procedit, ac super altare ad id decenter ornato, sacris precibus recitatis, ignem adjurat; ex quo sane tempore, non sine magna Civium lætitia, incendia constitisse nunciatum, fumo, flammisque in supremo cratere per dies aliquot perdurantibus, quæ non diu post evanuere. Hisce acceptis nunciis VI. Idus Maji sollemni gratulatione Superis litatum est. *Ann. Xpi.* 1702

II. Mense Octobri Franciscus Judex S. R. E. Cardinalis, Siciliæ Prorex, navi vectus Catanam appulit, atque ad princeps Templum inter Procceres, ac Magistratum progressus, Ecclesiæ Urbisque privilegia de more servanda juravit. Hinc ad S. Nicolai Benedictinum Cœnobium se recepit, postque dies aliquot Syracusas ad arces insulæ meridionales invisendas contendit. Tum sequenti anno Præcellorum literas jura, ac privilegia Catanensis Academiæ firmantes examussim servari precepit Messanæ pridie nonas Martias, editisque publicis rescriptis, ac in transgressores penis decretis, idipsum altero anno Panormi XVI. Kal. Aprilis sanxit. Nec minori munificentia Philippus Rex, quæ Cardinalis statuerat, suis literis IV. Idus Februarii Matriti obsignatis, rata voluit; quo sane Regio decreto, ac lata insuper Panormi in *Contradictorio* ut ajunt, sententia, Petro Pizzuto Regni Archiatro, qui ejusdem Academiæ jura sępius temerare ausus fuerat, silentium impositum. Egit Urbis nostræ partes Nicolaus Tezzanus, de quo fusius suo loco, qui literas, decreta, sanctionesque typis etiam edendas curavit. Tunc Andreas Episcopus elegantissimum è vario marmore sepulchrum in sacello S. Agathę

1703 (beside "lræ meridionales invisendas contendit. Tum se-") · 1704 (beside "pęnis decretis, idipsum altero anno Panormi XVI.")

sibi

Ann. Xpi. 1705 sibi constituit cum epigraphe: *Illustriss. Et Reverendiss. Dominus D. Andreas Riggio Anno Salutis* MDCXCIII. *Quo Exitiali Terræmotu Urbs Tota E Fundamentis Quatitur, Episcopus Catanensis Divina Nuntiatus Providentia, Veluti In Lapidem Ad Universalem Sacrarum Ædium Instaurationem Erectus, Ut In Caput Anguli Fieret, Ad Hujus Sacelli Ornatum, Atque Ad Æternum Divæ Agathę Cultum, Hanc Sepulchralem Sibi Struxit Molem Anno Domini* MDCCV.

1706 III. Proximo anno Isidorus de la Cueva, Bedmaris Marchio, Siciliæ Prorex suum quoque calculum Præcessoris sui literis addidit; mox verò Antonium Santanderium Hispanum, Arcis Ursinę Præfectum, Supremum ad Arma Ducem cum potestate Catanæ constituit. Id Urbis nostræ privilegiis refragari quum sępius Patres Conscripti, sed frustrà ostendissent, rem ad supremum Hispaniæ Consilium deferre, atque ab humanissimo Principe Philippo literas obtinendas curarunt; quibus IX Kal. Decembris Matriti, cùm Regentium Italiæ voto præcepit Rex, ut sarta tecta Catanæ jura servarentur, nec nisi unus è Regni Proceribus extra ordinem Proregis vices, summamque authoritatem penes nostros, ut olim cautum, gereret. Die igitur XVI. Maji MDCCVII. con-
1707 cessas olim Catanæ gratias, moremque observari amplo diplomate Prorex idem Regiis Administris præcepit; Antonium verò Augustæ Præfectura donavit. Subinde XVI. Kal. Julii Fridericum Neapolim Resuttanę Principem Generalis Vicarii titulo Catanam delegavit. Inter hæc Caroli Austriaci literas per Urbem hostes disseminarunt, quas, ut fidem contestarentur suam, Panormum ad Proregem Catanenses transmisere, ac meritas ab eodem laudes peculiari chirographo reportarunt.

Anno

IV. Anno MDCCVIII. Amenani Aquæ exundantes Urbi perniciem intulere, incalescente enim tempore, morbos adeo graves corruptus nimia humiditate aer suscitavit, ut brevì cives innumeri perierint; novis hinc ductibus Senatus operâ institutis, affluentes rivuli aliò derivati, ac malo utcumque, sublatis caussis, occurritur. Bonaventuræ Paternionii Ordinis Capuccinorum ex Biscaris Principibus, morum innocentia, ac vitæ sanctimonia celebris, annum MDCCIX. mors pretiosa illustravit. Sub idem tempus XIII. Kal. Quintiles, Andreas Riggius Catanensis Pontifex primum ædificii lapidem, multis cæremoniis sacrum in principe Basilica ab se reparari cœpta, unà cum arcula lapidea, ubi Sanctorum Reliquiæ conditæ, sollemni ritu, in magna totius Urbis frequentia, populo universo plaudente, posuit. Sequenti verò Carolus Antonius Spinola Marchio Balbasius, ac Insulæ Prorex Catanam IV Idus Aprilis appulit, atque in equo, medius inter Villæfrancæ Principem, & Urbis Senatorem Hieronymum Asmundum ad principem Basilicam processit; ubi de more privilegia firmavit; in Urbe per dies aliquot, militibus urbanis excubias agentibus, versatus, Syracusas inde contendit. Nec diu post in Templo, quod a Fornace S. Agathæ nomen habet Clericorum sodalitatem sub Deiparæ *Septem Dolorum* titulo Andreas Pontifex fundavit; cujus esset institutum Sacri Ordinis Viros eidem adscriptos valitudine laborantes, suppetiis adjuvare. Huic nedum ipse Andreas, sed Episcopi Franciscus Raymires, Agrigentinus, Asdrubal Termini, Syracusanus, & Josephus Castellus, Mazariensis, qui tunc Catanæ versabantur, nomen dedere, quæ & hodie florentissima viget.

Ann. Xpi. 1708 — 1709 — 1710

V. Jam verò Cathedralem Ecclesiam, quam 1712
ante

Ann. Xpi 1712 ante triennium idem Andreas moliri cœperat anno MDCCXII. penè absolutam XIX. Kal. Septembres sollemni ritu lustrali aqua sacravit, primusque in eo ingenti pompa in magna Civium, & Opidanorum frequentia, ipso Assumptæ Virginis festo, sacram synaxim celebravit. Impendisse Andream in ejusdem molitione L aureorum millia traduint; Et sane, magnitudine, ornamentis, atque elegantia, (ex albo enim Syracusano lapido affabre elaborato, juxta Corinthii Ordinis regulas tota constat) antiquæ illi ab Rogerio Duce olim conditæ non absimilis, nullique per Siciliam secunda, non injuria creditur. Dum porro eidem instruendæ, omnibusque numeris concinnandæ impigre incumberet, ut Romanæ Sedis decretis obsequeretur, Regios Administros offendit, Edictum Siculæ Apostolicæ Legatiæ perniciosum evulgan-
1713 do. Id revocare quum nollet, jussus Regno excedere, urbem Catanam, ejusque Diœcesim sacris interdixit, ac Romam profectus est. Inde malorum iliades viros complures Ecclesiasticos excepere. Regiæ enim Monarchiæ fretus authoritate Franciscus Barbara, S. Luciæ de Mylis Abbas, Catanam veniens Censuræ sententiam injustè latam censuit, utque publicè sacra de more fierent, præcepit. Verum Romanus Pontifex acta ab Episcopo probans, majores minatus est pœnas in transgressores, veritique complures supremi Pastoris authoritatem, ac Moniales præ cæteris, ejusdem obsequuntur mandatis.

1714 VI. Inter hæc Victorius Amedeus, Allobrogum Dux, Anglica classe in Siciliam appulit, ac Regni dominium juxta pacis conditiones in Comitiis Ultrajecti initæ, assequitur: Corona hinc Panormi donatus, Catanenses Nuntios Vincentium Bicocchæ Dynastam, ac Josephum Alvarum Pa-

ternionios benignè excepit; Senatui tertio Idus Novembris rescripsit, Urbisque privilegia paullo post VII. Kal. Martii MDCCXIV firmavit. Tum alio decreto sanxit, ut Peditatus Acensis, qui bello ingruente, ad Catanæ custodiam destinatur, Tribunus, ejusque Legatus ex Patritiis Catanensibus, juxta morem assumeretur, atque ad id muneris Joannem Paternionium, ac Jacobum ejus filium delegit. Mense subinde Aprili unà cum Anna Aurelianense, uxore, Regina Urbem nostram sua præsentia per biduum exhilaravit, ac Messanam inde XIV Kal. Maji profectus, ibi Catanensis Academiæ jura firma, ac rata voluit. Sub id temporis, quum multi è sacro cętu clam sese subducentes, in Italiam transmigrassent, nonnulli hàc illac per insulam dispersi, non levi Urbis nostræ detrimento errarent, reliqui demum in varias abeuntes sententias factiones foverent, sacra omnia pessum ire videbantur. Ann. Xpi 1714

VII. Anno MDCCXVII Andreas Catanensis Pontifex Patriarchatu Costantinopolitano, aliisque honorum insignibus dudum à Romano Pontifice decoratus, XVIII Kal. Januarii Romæ mortale exuit, ac in S. Mariæ Majoris Basilica humatus, sollemni funeris pompa honorari meruit. Nec diu VIII Kal. Aprilis Feria VI insequentis anni, quum ad Dominicæ Passionis memoriam celebrandam in S. Mariæ de Jesu Minorum Fratrum Ecclesiam, Catanæ extra mœnia, Cives ingenti frequentia convenissent, oborta repente vox, Terræmotum factum enuncians, adeo omnes exterruit, ut turmatim, præcipiti fuga extra sacram ędem sese proriperent. Quo in tumultu triginta circiter diversi sexus à multitudine suffocati periere, plures luxati, reliqui ex vano concepto timore vix tandem confirmati, ęgrè domum sese receperunt. 1717 1718

Post

Ann. Xpi 1718 Post menses aliquot Kalendis Julii Hispana Classis in Siciliam appulit, ac Regi Philippo Insulam universam rursus penè asseruit. Catana porro exemplo cæteris fuit; accepto enim certo nuncio Hispanis copiis Panormi Sabaudos locum cessisse, ibidemque Philippi nomen conclamatum, unanimi voto Cives Philippum in Regem salutarunt; Arcisque præfecto, ac presidiariis militibus custodiæ mancipatis, Urbem contra hostes Messanæ, ac Syracusis agentes munierunt.

VIII. Tunc supremo Principis decreto Pontificiæ sanctiones, censuras confirmantes, omnino servatæ; Hispanæ legiones summo plausu exceptę, quæ primum sub Mareschallo *de Puteo*, dehinc
1719 sub S. Vincentii Marchione *Pignatello* diu Catanæ perstitere. Rebus interim cum Romana curia compositis, Ecclesiastici viri ad patriam revocati, sublataque ab Joanne Rizzaro Apostolico Vicario, & Cathedralis Archidiacono, summa populi gratulatione, ac publico ritu, Idibus Augustis, in Principe Templo *Interdicti* sententia, cuncta ad pristinum sunt restituta. Mox Philippus Sidotus Panormitanus, qui diu summa cum laude sui Archiepiscopi vices gesserat, Catanensis Pontifex à
1721 Rege designatur. Verum, Regno ad Carolum Austriacum Romanis Imperatorem delato, Albarus Cienfuegos Hispanus Societ. Jesu, S. R. E. Cardinalis noster Præsul designatur, mense Novembri MDCCXXI; consecrationisque insignibus XVIII Kal.
1722 Junii donatus, sequenti anno, possessionem adeptus, suas vices, mense Octobri, Petro Gravinæ Ecclesiæ Priori delegavit. Nec diu Paulum Stabilem Bovensem Pontificem, qui Diœcesim lustraret, ac pastoralia obiret munia, transmisit, quibus ille per menses aliquot perfunctus, inde ad propria remeavit.

Anno

IX. Anno MDCCXXIII IX. Kal. Decembris Ætna è supremo cratere ignes solito majores effudit, qui secundùm montis naturam, ejus proclivitatem secuti, immensa alluvione, rapidoque cursu, Brontis opidi, & Myrti fines, ad octo passuum millia obruerunt, vastatisque agris, ac non exigua nemoris parte, quod à *Vitullis* appellant, consumpta, incolas grandi metu affecere. Post menses demum quinque VII. Idus Aprilis refrixerunt. Qui verticem inde subiere, craterem omnino diversum, quàm antea videbatur, silicibusque ferrugineis sulphuris colore maculatis oppletum invenerunt. Post biennium Pontifex noster Albarus ad Archiepiscopalem Montisregalis sedem translatus, Catanensem Ecclesiam sacro S. Victorini Martyris corpore, argentea theca decenter incluso, donavit; cujus vices Alexander Burgos, & Isvaglies, Messanensis, Ordinis Minorum, orbi literario satis notus, pridie nonas Octobris opportunè subiit. Hic perhonorificè, quum ad examen coram Benedicto XIII sisteretur, habitus, consecrationisque munere XII Kal. Martii decoratus, Messanam ad suos remeavit, Catanam inde III Nonas Julii hora noctis circiter secunda, sed diutino, quo affligtabatur morbo, gravatus venit, paucisque elapsis diebus XIII Kal: Augusti summo Civium dolore, ex humanis excessit, magnifico elatus funere, sed communi tumulo infossus. Proximo anno pridie Kal: Majas Andreæ Rigii, dudum Catanensis Episcopi cadaver Catanam, ut ipse postremis tabulis præceperat, delatum, ad S. Mariæ Novælucis templum extra mœnia primum, mox funebri pompa ad Cathedralem Basilicam deportatum, ubi parentalia in summa Urbis frequentia eidem persolvuntur, ac tumulo, quem sibi jam defoderat, hoc dysticon insculptum:

Ann. Xpi 1723

1725

1726

1727

I.*Me Felix Genuit.* II. *Pastorem Clara Recepit.*
III.*Urbs Tenuit Vivum.* IV.*Mortuus Huc Redeo.*

Ann. Xpi 1727 I. *Felix*, ideſt Panormus 10 Martii 1660. II. *Clara*, ideſt Catana 20 Aprilis 1693. III. *Urbs*, ideſt Roma 20 Aprilis 1723. IV. *Huc*, ideſt Catanam 30 Aprilis 1727.

X. Sub idem tempus Clericorum Theatinorum, ſub S. Cajetani titulo, domus Catanæ conſtituitur, Innocentio Raphaele Savonarola Patavino ejuſdem inſtituti alumno agente, ac certatim cujuſvis ordinis civibus ſuppetias ad id opus conferentibus. Brevi namque veteres S. Juliani Monialium Cęnobii ædes, prope Urbis męnia, ad ortum, quæ ab anno MDCCIX Noſocomio S. Marci ceſſerant, ægrotis in locum opportuniorem paullo ante translatis, tunc vacuas, Innocentius ex piorum eleemoſynis ſpontè oblatis ſibi comparat; ſacra, ac domeſtica ſupellectile inſtruit, atque ad congruos ſuorum uſus aptat, templum aperit, animarum curæ ſociis adſcitis, ferventiſſimo zelo incumbit, enaſcentique domui præclariſſimis vitæ exemplis conſulit. De ea rurſus lib. IX. Interim Raymundus Rubi Barchinonenſis generoſis parentibus ortus, Carthuſienſis Inſtituti, Catanæ Præſul deſignatur, qui quum ex humilitate onus reſpuiſſet, à Romano Pontiſice ſub obedientiæ præcepto aſſentire coactus, ab eodem in S. Mariæ Angelorum Romæ VI Idus Decembris conſecratus, Cathedræ poſſeſ-
1728 ſionem VIII Idus Januarii MDCCXXVIII iniit; mox IX Kal. Martii ingenti plauſu, ac lętitia à noſtris exceptus, optimum ſeſe paſtorem exhibuit. Subinde Carolus Cæſar, ut Catanenſis Gymnaſii leges, ſanctioneſque ab Ill: Comite S. Stephani olim editæ ſervarentur, ſuis literis præcepit IX Kal. Octobris. Hinc Proregis juſſu, prædictæ Leges novis declarationibus munitæ, ac quibuſdam in locis pro temporum conditione emendatæ vulgantur, illarumque obſervantia profeſſoribus, & Cancellario cum primis, inculcatur.

XI. Circa idem tempus Messanenses apud Anni Xpi 1728
Viennam Austriæ, ut Serici Artificium, *Consulatum*
appellant, Catanæ deleretur, nullum non move-
bant lapidem; nostri verò Patriæ jura strenuè tue-
bantur; tandemque Raymundi opera decretum, ut
circumscriptis aliquot conditionibus eo Catanen-
ses fruerentur. Dum porro majora de tanto Pon-
tifice cives expectarent, summo omnium dolore
xv Kal. Februarii, è vivis ille piissimè, ut vixe- 1729
rat, abiit. Illius in pauperes munificentiam, reli-
giosam modestiam, atque eximiam humilitatem cum
ingenti animi magnitudine conjunctam pro meri-
to commendare nemo unquam poterit, ut inter
maximas patriæ jacturas ejusdem immaturum fa-
tum queat dubio procul recenseri. Jacet, & ipse
in communi Pontificum, & Canonicorum sepul-
chro conditus.

XII. Damnis hisce compensandis Petrus Gal-
lettus, Panormitanus, ex Principibus Fluminis Sal-
si, S. Cataldi Marchionibus è Pactensi Ecclesia
translatus, Præsul Catanensibus adsciscitur. Fue-
rat olim Petrus S. Antonii Panormi Parochus, de-
que Rebus Fidei per insulam universam unicus
Quæsitor, ac morum elegantiâ, doctrinâ, aliisque
virtutibus viro Ecclesiastico dignis sese commen-
daverat. Ut porro Catanam appulit, faustas inter
acclamationes exceptus, xv kal. Februarii MDCCXXX 1730
Constitutiones ad publicam Academiam spectan-
tes à Prorege editas, typis vulgandas curavit; tum
Cathedrale templum variis ornamentis, ac sacra
supellectile splendidius reddidit, atque ad ejusdem
prospectum perficiendum conversus, Ædificiorum
prefectos (operæ Magistros dicunt) excitavit; con-
cinnandis mox majori sacello, tum minoribus in-
tentus, veteres superstites tabulas, celebris peni-
cilli opus, restituit, iisque, ac novis ab se insti-

tutis

Anni Xpi 1730 tutis ligneas coronas opere anagliptyco sculptas, aureisque bracteis contectas, addidit; Organa demum elegantissima, Pontificalia indumenta, opere phrygio elaborata, Umbellam è serico Villoso cremesino, aureis teniis distinctam, argentea candelabra, ac lipsanaria, aliaque ejusdem Basilicæ ornamenta, magnificentia quam maxima jussit.

1731 XIII. Sub idem tempus Carmelitarum S. Mariæ Annunciatæ Cœnobium Fratres ejusdem instituti, sed strictioris, ut vocant, observantiæ, juxta Rom: Pontificis decretum XIII kalend. Julii MDCCXXXI incolendum susceperunt. Reformationem hanc, sive Observantiam in S. Alberti Siculam Provinciam Andreas Statella Panormitanus, sed Catanâ oriundus, ex Marchionibus Hyspicefundi introduxerat, rem probante Gaspare Pizolanti Generali Ordinis Magistro, ac Benedicto XIII. Rom. Pont. mense Junio MDCCXXIV nec non Carolo Rom. Imperatore confirmantibus. Ex bonis enim paternis Syracusani, & Hyspicefundi Cœnobiorum fortunas auxit, professusque Ordinem sub nomine F. Salvatoris à Ss: Trinitate, impigre opus promovit, ac felicissimè, innumeris exantlatis laboribus, tandem absolvit; quumque pro ejusdem Observantiæ stabilitate, ad generalia Ordinis Comitia contenderet, in Carmelo Ariminensi X kalend. Maji MDCCXXVIII prope quinquagenarius, meritis plenus, magna sanctitatis opinione occubuit. Enituit porro Andreas adhuc in sæculo nedum ingenii præstantiâ, sed morum etiam probitate, misericordiâ in pauperes, pœnitentiæ, & contemplationis studiis, quas quidem virtutes novis in claustro cumulavit. Horum æmulatores ejusdem asseclæ quotidie sese produnt, sacrisque scientiis, assiduis pro animarum salute curis, ac piis operibus intenti, quin & Cœnobii, templique ædificiis promovendis quotidie addicti, sese commendant.

XIV. Anno MDCCXXII Regium Caroli VI. Cæsaris diploma Catanensis Gymnasii jura firmantis cum *Privativa* ut ajunt, cives nostros exhilaravit. Illud hic exscribere, quamvis typis vulgatum omnium manibus teratur, superfluum properanti non erit. *Carolus &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium significantes quibus expedit universis: Quandoquidem sublimitas Cæsareæ, Regiæque Majestatis, in quam Omnipotens juxtà supernam providentiam suam Nos destinavit, & collocavit per fulgentissimi throni sui vigorem quamplurimis, celeberrimisque exornata est, ex quibus cum sagi, tum togæ præstantissimi prodiere viri; adeoùt quò majoribus privilegiis, libertatibus, & gratiis vetustissimæ, ac celeberrimæ Universitates, illarum virtute, scientia, & meritis eximiorum Virorum intuitu donantur; eò excelsior hæc ipsa Cæsarea, Regiaq; Majestas appareat, ipsique subditi agnitione nostræ Cæsareæ, Regiæque Clementiæ ad debita, atque etiam majora obsequia, ad heroicas, & incorruptas virtutes, ad fidelem, firmam, & continuam operam invitentur, ac incendantur; Cum itaque Senatus, Populusque Fidelissimæ Civitatis nostræ Catanæ, nec non ejusdem celeberrima Universitas Studiorum in nostro ulterioris Siciliæ Regno existens humillimè, ac officiosè Majestati nostræ Cæsareæ, Regiæque exposuerint ipsorum assiduam, indefessamq; cum sagi, tum togæ curam quamplurimos Serenissimis Prædecessoribus nostris Hispaniarum ibidem Regibus fidelitate, Zelo, ac strenuitate procreasse viros eximios, qui non in castris minus, quàm in juridicis reipublicæque ambagibus altefatis Majestatibus suis incorrupta præstiterunt servitia inque Regni utilitatem, Patriæque commodum munere suo perfuncti, majorem in dies excellentiam, atque integerrimæ observantiæ meritum adepti sunt; Eos-*

Ann. Xpi 1722

dem

dem proinde Divos, & Illustres recolendæ memoriæ Prædecessores nostros, ac specialiter Serenissimum Regem *Alphonsum anno millesimo quadricentesimo quadragesimo quarto, maturè* Fidelissimæ *Urbis nostræ Catanæ, quàm opportunis discussis servitiis, summique momenti publica immediateque dicti* Regni *communi beneficio, quàm utilia motiva ponderantem* Regio *suo mandasse Diplomate, ut Catanæ scientiarum omnium Universitas erigeretur, quæ in omnibus, & per omnia Sanctitatis suæ* Eugenii *IV. concessioni, ac Universitatis Bononiensis regulis conformis esse deberet; atque alio suo* Regio *Diplomate Anno millesimo quadricentesimo quadragesimo quinto hujusmodi Universitatis Studiorum Generalium Catinæ erectionem confirmasse, adjecta clausulâ privativa in hujus tantum favorem, quæcumque alia* Loca*, Urbesq; Ulterioris Siciliæ* Regni *excludentem; ac pro ejusdem Universitatis* Lectorum*,* Rectorum*, ac Officialium necessaria, & decora sustentatione proventus assignasse: Hinc Serenissimos Successores Regis Alphonsi felicis memoriæ usque ad Serenissimum Regem Philippum IV. posteaquam dicta Capitula, & Privilegia confirmarunt, expressè prohibuisse, ne ullus unquam juridicum munus quodcumque in dicto* Regno *exercere auderet, qui in dicta Universitate Catanensi gradu, laureaque insignitus non esset, omnibus aliis Ulterioris Siciliæ* Regni *Urbibus Studiorum Generalium, sive Universitatis erectionem inhibentes.* Ex inde *Serenissimum Hispaniarum* Regem *Carolum* II. *Avunculum nostrum gloriosæ recordationis his omnibus, simulque quidquid in confirmationis exhibitæ Diplomate Anni millesimi sexcentesimi septuagesimi octavi fusiùs reperitur, quod hìc proinserto habeatur, speciale Civitatis Catanæ cum privativa clau-*

ſula Privilegium concernens, quod ea ſolùm Almo Scientiarum omnium Liceo frui poſſet, & valeret funditùs, maturèque expenſis, inſtantes Civitatis noſtrę Panormi preces, quæ omnium ſcientiarum Laurea condecorare poſſe, modo, quo Catanæ fieri ſolebat, ac ſolet, ſummoperè expetebat, omninò rejeciſſe; Et anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo ſecundo præfatum Sereniſſimum Regem Carolum II. pro deletione Univerſitatis Urbis Meſſanæ alio ſuo regio reſcripto Illuſtris Comitis ſancti Stephani tunc temporis in illo Regno Proregis, Locumtenentis, ac Capitanei Generalis Conſtitutionibus anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi noni adhærentem ſecunda vice antiquiſſimum Privilegium, quod Catanæ tantùm privativè obtineri Laurea poſſet, confirmare dignatum fuiſſe, uti ex regiis literis, ſeu Diplomate diei ſextę menſis Septembris anni milleſimi ſexcenteſimi octuageſimi ſecundi pleniùs conſtat. Cum verò dictus Senatus, Civitaſque Catanæ, nec non Univerſitas Studiorum in eadem exiſtens, præſentientes, Seminariorum Nobilium Felicis, ac Fideliſſimæ Civitatis noſtræ Panormi noviſſimè erectorum Convictores ſupremam Majeſtatem Noſtram Cęſaream, Regiamque ſupplices deprecari velle, ut ipſis Privilegium omnium Scientiarum Laurea benemeritos diſtinguendi impertiri dignemur. Eò quòd hoc omnimodè adverſatur Privilegio Univerſitatis Studiorum Generalium dictæ Civitatis Catanæ eidem vi tot Regiorum mandatorum privativè conceſſo, & poſtremò Majeſtatis noſtræ Cęſareæ, Regiæque Imperialibus, Regiiſque litteris anni milleſimi ſeptincenteſimi vigeſimi octavi, denuò confirmato, in illis jubentes ad hoc ut Studia dictæ Univerſitatis Catinenſis optimum conſequantur ordinem, ac normam inviolabilem Conſtitutionum pro eiſdem à

Comite S. Stephani, tunc in dicto Regno *Proregis præscriptarum observantiam, in quorum Cęsareorum*, Regiorumque *nostrorum mandatorum executionem emanatę fuerunt observatoriæ, seu exequutoriæ literę, ac in pręsentiarum dicta Universitas præfatis se conformat Constitutionibus*; *Et quia in his expressè mandatur, quòd nemo Laurea insigniri valeat, nisi priùs in albo Universitatis vulgo* Matricola *inscriptus Catinæ quinque annorum decursu Studiis operam navaverit; Summam Majestatis nostrę Clementiam devotione congrua demissis postulent supplicationibus, ne Convictoribus Seminariorum Nobilium Civitatis Panormi petitum ab ipsis Scientiarum omnium Laurea condecorandi privilegium unquam elargiri velimus, neque supradictis Convictoribus, aliisve cujusvis Communitatis Studentibus, ut Laurea decorari possint, facultatem tribuere, si ex ipsorum patentibus innotescat literis, eos extra Universitatem, Catinę studia absolvisse: Hoc enim non solùm nullam, irritamque tot Serenissimorum Prædecessorum nostrorum ibidem* Regum *mentem, voluntatemque redderet, qui singulari hac privativa clausula Catinæ meritum distinguere, & remunerari dignati sunt; Verùm etiam expresso Majestatis nostrę mandato adversum esset, qui Comitis S. Stephani tunc temporis Proregis, pręfatas confirmavimus Constitutiones, earumque observantiam in omnibus, & per omnia mandavimus. Insuper si Urbs Catanę hujusmodi* Privilegio *privaretur, concursus Studiosorum deficeret, ac consequenter Universitas non solùm, pręgrande pateretur detrimentum, sed etiam extremum reperiri deberet exterminium, tùm quia ex tali Studiosorum copia maximam percipit utilitatem, tùm quia eorumdem numerosior concursus applicationem, ac in Studiis gloriosam, ac prorsùs lauda-*

laudabilem æmulationem universali cum utilitate excitat, atque incitat: Ad extirpandas igitur in perpetuum hujuscemodi injustas petitiones, simulq; tàm gravia Catinę removenda damna, cum eadem Fidelissima *Urbs*, Universitasque *Studiorum in eadem existens, ac Senatus exprèsse tot Serenissimorum* Regum *Prædecessorum nostrorum, ac prçcipuè Serenissimi* Regis *Caroli* II. *{gloriosę memorię} menti inhærentes, à Majestate nostra Cęsarea*, Regiaque *Catholica suppliciter petant, ut clementissimè confirmatione nostra Privilegium muniamus, quòd sola* Universitas *Catanensis omnium Scientiarum* Laurea *exornare queat cum clausula privativa aliis omnibus Siciliæ Urbibus*, Locis, *ac* Regionibus, *& quòd adamussim quò ad omnia puncta* Comitis *S. Stephani tunc in dicto* Regno *Proregis* Constitutiones *à Majestate nostra Cæsarea*, Regiaque *confirmatæ servari debeant, quarum tenor pro majori illarum observantia per sequentem Augustalem* Paginam *diffusius apparet.* Hìc constitutiones inseruntur, de quibus ad Annum MDCLXXIX.

Inde est quòd Nos attendentes præclara devotionis obsequia, quæ Senatus, Populusque Fidelissimę Civitatis nostrę Catinę, nec non Universitas *Studiorum in eadem existens ab antiquo tempore tam fideliter, quàm devotè non tantùm Serenissimis nostris Prædecessoribus exhibuere, & quibus hodie dum continuis Supremam Majestatem nostram Cęsaream*, Regiamque *venerari ferventiùs, & vigilantiùs, ut debent, & tueri non desistunt: meritò ex supradictis, aliisque pluribus Cæsareum, ac* Regium *Animum nostrum rationibus moventibus, prçfatis supplicationibus favorabiliter (ut infra) annuentes, tenore prçsentium ex certa nostra scientia, animo benè deliberato, & consulto, motuque proprio,*

proprio, sana, ac matura Sacri Nostri Supremi Hispanicæ Monarchię Consilii accedente deliberatione, & de Cęsareę, Regiæque potestatis nostrę plenitudine etiam absolutę, ac omnibus aliis melioribus viis, & causis, quibus meliùs, & validiùs possumus prędictas supplicationes dicti Senatus, ac Fidelissimæ Civitatis nostrę Catinæ, nec non Universitatis Studiorum in eadem existentis quò ad Nostram Cæsaream, Regiamque Majestatem attinet, clementissimè attendentes omnia, & singula Capitula, Constitutiones, Statuta, Privilegia, Litteras, Indulta, & alias cujusvis generis Concessiones, Gratiasque tam generaliter, quàm particulariter per Serenissimos Nostros Prædecessores concessa, & indulta dictę Clarissimę Civitati Catinæ, ac suprainsertas Comitis S. Stephani olim Regni Siciliæ Proregis Constitutiones, seu Instructiones juxta earumdem, & cujuslibet earum seriem, & tenorem, clausulasque in præfato supplici illorum libello expositas, à prima eorum linea usque ad ultimam inclusivè pro ut, & quatenus prędictæ Instructiones Comitis S. Stephani usque nunc observatæ fuerunt, ac deinceps observari debent, laudamus, approbamus, innovamus, ratificamus, & præsentis rescripti patrocinio confirmamus, stabilimus, & si opus est de novo concedimus, & gratiosè elargimur, nostroque hujusmodi laudationis, approbationis, ratificationis, & novæ concessionis munimine, seu præsenti confirmationis nostræ Privilegio roboramus, & validamus, ita ut sola Celeberrima Universitas Catinensis in prædicto nostro Ulterioris Siciliæ Regno omnium Scientiarum Laurea exornare queat cum clausula privativa aliis omnibus Siciliæ Urbibus, Locis, Convictibus, Collegiis, ac Regionibus, & quòd adamussim quò ad omnia puncta Comitis S. Stephani

ni tunc in dicto Regno *Proregis Constitutiones exaratæ pro regimine dictæ Universitatis Studiorum Generalium, à Munificentia Nostræ Cęsareæ*, Re*giæque Majestatis confirmatę, juxta earumdem tenorem, ac observantiam ex tunc stabilitam, ac sine judiciali decisione, vel controversia huc usque usu receptam servari debeant. Statuentes hanc eamdem Civitatem Catinę gaudere debere publicorum Studiorum Privilegio, unà cum solita, ac privativa facultate Doctorandi, Laureandi, Habilitandi, aut Licentiandi in scientiis illis, quę docentur in dicta Studiorum Universitate Catanensi, quarum cursus expressè in suprapositis Constitutionibus regulatur, suntque Theologia Speculativa, ac Dogmatica, Jus Civile, ac Canonicum, Philosophia, Mathematica, Medicina, Chirurgia, omnisque alia scientia, quæ in dicta Universitate docetur. Decernentes insuper, & mandantes, ut nullus possit in supradicto nostro Ulterioris Sicilię* Regno *Laureari, Habilitari, vel Licentiari, nisi priùs Studiis operam navaverit Catinæ secundùm modum, & methodum in iisdem dictis Constitutionibus præscriptam, ordinatamque; ob id expressè inhibentes quamcumque dispensationem, relaxationemque dictarum circumstantiarum, ita quod nullus, qui Lauream Doctoralem peteret, possit eamdem consequi innixus testimonio Studiis alibi incubuisse, Studiorumque cursum perfecisse, quem Catinę omnino explere debet. Inhibentes denique, ac prohibentes relaxationem super his posse ab eadem Studiorum Catinensium Universitate concedi, aut obtineri, darique à quacumque persona, cujuscumque dignitatis, aut magistratus, etiam si eadem Viceregia potestate fulta esset, de essentia namque ad Doctoratus Lauream in prędicto* Regno *adipiscendam, constituimus, & confirmamus regu-*

las

las praescribentes (ut supra) Doctorandorum assistentiam personalem in prędicta Universitate Catinae, temporisque pręfixionem, & serio omnibus, & singulis prohibemus, ac strenue ordinamus pręscriptiones positas in suprainsertis Comitis S. Stephani olim Viceregis dicti Siciliç Regni Instructionibus circa Studiorum Cursum Catinae conficiendorum nullo modo prętergredi, & quia summopere desideramus, ac volumus nedum praedictorum omnium omnimodam observantiam, sed etiam subditorum nostrorum in dicto nostro Ulterioris Siciliç Regno degentium profectum, tam in Scientiis, quàm in Virtutum Moralium, ac Christianarum acquisitione, proinde confirmamus authoritatem, facultatemq; à nostris Prędecessoribus concessam corripiendi, puniendique quoscumque supradicta Privilegia, immunitates, praerogativas, facultates, & quaecumque alia Universitati Catinae impertita tentantes infringere, ut tali medio omnes tollantur introducti abusus, & enixè injungimus Summo Cancellario, ac singulis Rectoribus, & Lectoribus dictae Universitatis, ut paternè invigilent, ac totis viribus incumbant pro conservanda in Studiosis vitae honestate, ac morum probitate; volentes, & decernentes, quòd praesens nostra approbatio, confirmatio, novaque concessio quò ad Nostram Majestatem attinet, praefatae Fidelissimae Civitati Catinç valida, realis, stabilis, fructuosa sit, & esse debeat, nullumque in Judiciis, aut extra experiatur impugnationis incommodum, aut noxae cujuslibet alterius detrimentum, sed in suo semper robore, & firmitate persistat. Quò circa mandamus Illustri Proregi Locumtenenti, & Capitaneo Generali Nostro praesenti, & futuris Spectabilibus, Nobilibus, Magnificis, dilectisque Consiliariis, & Fidelibus nostris, Magistro Justitiario, Praesidibus

bus Magnæ Regiæ Curiæ, Patrimonii, ac Sacræ Conscientiç Judicibus dictæ Magnæ Regiç Curiæ, Magistris Rationalibus, Thesaurario, & Conserv. R. P. Fisci Patronis, Judicibus Concistorii Sacræ R. Conscientiç, Advocatis quoque, & Procuratoribus, Fiscalibus, cæterisque demum universis, & singulis Officialibus, & Subditis nostris maj. & min. in dicto nostro Ulterioris Siciliç Regno constitutis, & constituendis ad quos spectat, & spectabit, quatenus formâ præsentis nostræ approbationis, & confirmationis, & novç concessionis per eos, & eorum quemlibet diligenter attenta, ea omnia, & singula, prout ad unumquemque ipsorum spectat respectivè, teneant firmiter, & observent, tenerique, & inviolabiliter observari faciant per quoscumque juxta earum seriem, continentiam, & tenorem, itaut omni dubio, contradictione, & sinistra interpretatione cessantibus ratione aliqua, sive causa pro quanto dicti Officiales, & Subditi nostri gratiam nostram charam habent, ac prçter irç, & indignationis nostræ incursum pœnam Unciarum Mille nostris inferendarum Ærariis evitare cupiunt: Harum testimonio Litterarum Manu Nostra subscriptarum, & Sigilli nostri Ulterioris Siciliæ Regni appensione munitarum.

Datum in Carlsbat Die secunda mensis Julii Anno à Nativitate Domini Millesimo Septingentesimo trigesimo secundo; Imperii nostri Romani Vigesimo primo, &c.

XVIII. Sub ejusdem anni exitum v. Idus Decembris Ætna mons è supremo cratere fumum, flammasque eructavit, nec diu post igneus torrens erupit, montisque occiduas regiones occupans, proximi nemoris vetustissima dumeta vastavit; inde verò mense Januario quiescere visus. Vere ineunte belli theatrum Italia evasit, Carolusque Bor- 1733

bonius

Ann. Xpi. bonius Hispaniæ Infans, Palmæ, & Placentiæ Dux, Magnusque Ætrurię Princeps Regno Neapolitano armis sibi vindicato, ad Siciliæ avitam coronam,
1734 Philippi Patris cessione, capessendam, altero anno classem, legionesque destinavit. Tunc Comes Sastagus Christopharus de Corduba, Supremus Insulæ pro Carolo Cæsare Præfectus XVII kalend: Julii Catanam venit, mox die altera Syracusas contendit. Pridie Idus Septembris Carolus Borbonius, Rex Catanæ salutatur, Hispanus miles summa lętitiâ excipitur. Arce subinde Messanensi expugna-
1735 ta, non tam armis, quàm sola nominis famâ, novus Princeps Siciliam adiit, atque Urbis nostræ Legatos Franciscum Rizzarum Trium Mysteriorum Ducem, & Josephum Joenium humanissimè kalendis Aprilibus ad se venientes data die admisit, Patribusque Conscriptis omnibus benevolentiæ signis rescripsit. Ne porro acta, & Cæremoniæ in hujusmodi Legatorum exceptione ex hominum memoria exciderent, ut in publicos libros Regni Protonotarii inferrentur, præcepit; Catanæ demum privilegia supplici in libello exposita, in generali totius Insulæ Jurium confirmatione, rata habere promisit.

XVI. Mense Septembri novum S. Nicolai de Arena Cęnobium, quo nil habet augustius Sicilia, Casinenses Monachi incolendum susceperunt. IV. Nonas Octobris Ætna rursum horribiliter exarsit, ac circa x. sequentis diei horam flammarum globos, ingentesque lapides ad Cęlum usque emittens, supremo tandem cratere exundante, contra Mascalas, Linguægrossæ, & Brontis opida torrentes igneos trifariam divisos, evomuit, qui lento cursu, nonnisi verticis superiora loca occuparunt. Præcesserant porro à die ejusdem mensis secunda proximi incendii prodromi, horribiles nem-

pe boatus, ingensque fragor, adeout penè integro triduo veluti à fundamentis corruere mons videretur, exauditusque ad xxx. circiter milliaria terræ motus, & Catanæ vel maximè, ubi noctes pene insomnes, metu perculsi, tonitruisque non intermissis stupefacti duximus. Sub idem tempus *Mons Pietatis*, ut dicunt, ad pauperum miserias sublevandas, quęstusque ex fęnore illicitos extirpandos, Nobilium, piorumque quorumdam opera institutus; quem auctum iri, auspice Numine, speramus. Tum *Christianæ Doctrinæ*, *&* *Missionis* sodalitas sub titulo Beatissimæ Virginis Deiparæ à Lumine, ex viris Ecclesiasticis coalescens in S. Mariæ de Epistola templo, Joannis M. Riccioli Cathedralis Basilicæ Canonici opera fundatur; Sodalibus porro incumbit cura pueros, puellasque fidei Catholicæ elementa per Urbem edocendi, ac Missiones sacras, ut appellant, quotannis Catanæ, proximisque in opidulis celebrandi. Ann. Xpi. 1735

XVII. Proximo anno VIII. Kal: Augusti ad Septembrem usque mons Ætna innoxiis flammis conflagravit, cineresque è summo cratere profudit. Tunc Hieroglyphica Columna è lapide Sienite, vulgo Obeliscus, lapideo vetustissimo Elephanto insidens, marmorea substructa basi, fontibus, statuis, inscriptionibus utrinque instructa, ære publico in Templi principis area erecta. Columnæ verticem Civis dulcissimæ, ac Patronæ Agathæ insignia occupant; palmæ surculus, & Lilia, Virginitatis hæc, illa martyrii symbolum, atque Angelica Tabella cum Epigraphe M. S. S. H. D. E. P. L. orbi superposita. Circa minorem basim vetus illud Catanæ elogium inscriptum: *Invictos Supero, Castigo Rebelles*. Elephantis stragulum è pario marmore Urbis stemma præfert, Palladis nempe Signum, Stylobates, seu major Basis vario mar- 1736

more

Ann. Xpi. 1736 more contexta, hæc exhibet Epigrammata. Sub Symęthi Statua

Nomina Rex olim tribuit mihi clara Symęthus, Servius in Æneid. lib. 9.
Hic mea sed posthac Clarior unda fluet.

Sub Amenani simulacro.

Nunc fluit, interdum suppressis fontibus aret, Ovid. metam. l. 15.
Ast huc perpetuas fert Amenanus Aquas.

In fronte *Carolo Borbonio* Rege.

Obeliscum Arcanis Ægyptiorum notis distinctum, Inter pręcipua Siculæ Vetustatis monumenta facile Principem, Patriæ Magnificentiæ, Avitę Religionis, atque Initialis Minervę Symbolum, Ut Priscis Honorem, Præsentibus stimulum, Posteris memoriam S. P. Q. C. Erigendum curavit Anno MDCCXXXVI.

A postica verò facie

Vetus Catanę Insigne Elephas, ab Æquitate, Prudentia, Docilitate Urbem Clarissimam, ejusque Cives commendat. Hoc, ut lateret neminem, ejusdem ex Ætnęo lapide Simulacrum, Heliodori olim pręstigiis celebre, S. P. Q. C. Docto oneri substratum voluit Anno MDCCXXXVI.

1737 XVIII. Amplissimo subinde Privilegio Carolus Rex Catanam, ejusque Academiam decoravit, quo gratias omnes, exemptiones, immunitatesque à suis olim Præcessoribus nostris concessas, in supplici oblato libello per ordinem expositas, uti dudum Carolus II. suo speciali diplomate probaverat, rata voluit, & firmavit Neapoli VI. Idus Maji MDCCXXXVII. Illud habes exscriptum Panormi III. Kal. Junii eodem anno. Vere insequenti
1738 Amenanus fluvius exundans humiliores Urbis regiones occupavit; at Magistratus opera novis ductibus institutis, vetustisq; ampliatis, aquę brevì extra męnia corrivantur, ac aeris salubritas restituitur; ne posteris autem temporibus, obstructis venis, ex hujusmodi

modi fluminis eruptionibus, Urbi deinceps pernicies inferretur, occultas vias cum veteres, tum novas in publicis tabulis adnotandas Patres mandarunt. *Ann. Xpi.* 1741

XIX. Neapolitani sub idem ferme tempus enixè à Rege postularunt, ut aditus ad Reipublicę munia, ac dignitates iis etiam in Sicilia pateret, quos magistrali laurea in Salernitana Academia decorari contingeret. At mordicus nostri in Regia suprema Curia obsistentes, ne Catanensis Gymnasii juribus quidquam derogaretur, impetrarunt, editisque hac de re doctissimis disputationibus, ut sarta tecta illius privilegia servarentur satagentes nullis impensis pepercere. Anno MDCCXLIII. undecimo Kal: Martii hora XXIII. ingens terræ concussio per Insulam facta est, Urbesque aliquot circa fretum, ac in Neeti valle, labefactatis ædificiis, afflixit. Quum porro atrocissimo bello à morte Caroli VI. Cæsaris universa pene Europa interea conflagrante, summa pace Sicilia frueretur, Januensis navis, Neapolis insignibus instructa, Messanam appulsa dirissimam in eam, pagosque finitimos pestilentiam invexit. Salutis syngrapham publico munitam sigillo, omni, vel levi suspicione carentem, Anellus Bava navis rector (Larvatum id nomen; verum quippe erat: Jacobus Bozzus) XX. Martii, qua die portum tenuit, VI. Viris Incolumitatis Curatoribus obtulit, ac jure jurando, nec alicubi constitisse, neque aliunde merces excepisse, juxta morem affirmavit; Frumentis hinc, lanisque in Lęmocomii officinas expositis, consuetas trahere moras jussus, ante octiduum lue correptus interiit; quem alter ex nautis secutus. Reliqui hinc fraudem confessi, quod merces scilicet aliquot adhuc in navi essent, quas ipsis invitis, utpote contagione obnoxias, Rector admiserat, loco ab aliis longe secre- 1743

to

Ann. Xpl. 1743 to ſub arctiſſima cuſtodia ſervantur, debitis pœnis, ubi evaſiſſent, ob publicam violatam fidem plectendi; lanæ, & frumenta in fornace ad id parata, navis, omniſque nautarum ſupellex in freto contra S. Placidi Cœnobium flammis deduntur.

XX. Sed quorumdam è plebe aviditas omnem Magiſtratus diligentiam eluſerat, atque in Urbem noctu, ut poſtea vulgatum, merces infectas clam invexerat; hinc ſub exitum Aprilis, ac Majo ineunte, ſerpere morbos, in ea præſertim regione *à Pellizaris* appellata, compluresque è populo conficere; Hos tamen, falſa perſuaſione, immiti tempeſtati, malignoque ſyderum aſpectui, vel ipſi artis Medicæ periti tribuendos dictitabant. Tertio proin Idus Maji, Hymnus pro gratiarum actione in templo principe, populo frequente, eſt decantatus, quòd in tanto diſcrimine Urbem Optimum Numen, Deipara patrocinante, incolumem ſervaſſet. Non defuiſſe tamen tradunt ex Medicis quemdam, lue afflatum potius illam ſubmurmurantem, proximaſque patriæ jacturas indolentem, qui & *Pellizarium* regionem cuſtodiendam inclamavit; Sèd ejus cum riſu excepta præſagia. Invaleſcente malo, aliaſque regiones, ac vicos occupante, cives aliquot ſibi conſulere, atque in vicinia dilabi ſtatuunt, præque aliis Nicolaus Ciampolus, vir patritius, cum uxore Tauromenium delatus, luem Meſſanæ graſſari enunciat, communemque ſalutem privatis ſtudiis præfert. Mœnibus Tauromenitani illum nihilominus arcent, datiſque ad Catanenſem Senatum literis, de periculo admonent. Xv. Kal. Junii undique è Catana ad proximas Urbes nuncii advolant, qui, ut rebus provideant ſuis, publicæque proſpiciant incolumitati, ſerio Magiſtratus hortando, ſolicitant. Nec ſegniores Mylenſes, aliique ab aquilonari plaga finitimi populi ſibi caven-

tes, rem ad Proregem deferunt, qui Josephi Grimau Supremi Messanæ Præfecti, ac Magistratus literis acceptis, veluti vanam dissipare eam de Peste Messanensi opinionem primum conatur, sed aliis mox nunciis instructus, opportunis remediis ingruenti malo occurrere cogitavit. Et vero Grimaus, VI. Viri Sanitatis Curatores, nec non Senatus, Urbisque Primates circa Maji exitum omnes Medicæ facultatis Professores, ut judicium de morbo ferrent, in unum coegerant, tribusque exceptis, unanimi voto Epidemicum esse, minime verò Contagiosum triginta & amplius ex his clarissimè edixerant; quod sane consilium singulorum nomine signatum Grimaus Panormum transmiserat. Pia quoque opinio de invento S. Rainerii Episcopi corpore in rurali S. Pauli Ecclesia sub S. Placidi Cœnobio Civium animos erexerat, quæ tamen non diu evanuit. Ann. Xpi. 1743.

XXI. Ex urbe porro Catana sub idem tempus Messanam delegatus, qui de rei veritate edoctus, Senatui illi suppetias, annonam, atque amica auxilia exhiberet. Naves hinc onerariæ complures omnis generis commeatu completę non semel transmissæ, Civibus aliquando opportuno auxilio fuere. Peritissimos quoque, è Panormo duos, Catanensem tertium, qui de morbi natura, ac symptomatis penitius instruerentur, Prorex eò destinavit, ac Dynastas insuper, Malvagnæ, & Resuttanæ Principes, Ducemque Carcacis Legatos suos summa cum potestate constituit, qui Regionem undique circumvallandam curarent, afflictisque Messanensium rebus simul opitularentur. Interim IV nonas Junii, pio quidem, sed non satis prudenti consilio, ad Summi Numinis iram avertendam, publicas supplicationes Messanenses instituunt, sequentique die, quo S. Mariæ de Epistola festum cele-

Ann. Xpi. 1743 celebrabatur, ægri, incolumesque turmatim in Principe Basilica conveniunt, summaque fiduciâ ab amantissima Deipara, Tutelari, ac Patrona opem implorant; exhomologeses, preces, conciones, Thoma Vidali, Archiepiscopo pręsertim hortante, undique habentur, quin etiam è vicinis pagis, suburbiisque ingens multitudo dilabitur; hinc factum, ut mutuo eo per Urbem, sacrisque in locis commercio, omnes afflarentur, ac promiscuè luem contraherent. Ex tunc ergo nonnisi confusio, exitium, funera, mortisque imago diversa. Crescente enim in dies ægrorum, ac defunctorum multitudine, adeout octingenti, ac mille, & amplius quotidie, nec semel bis, ter, & quatuor mille confecti numerarentur, nec Sacerdotes, virique religiosi, qui sacra, nec Medici, qui corporalia remedia ministrarent, nec qui mortuos efferrent, inveniebantur; Frater fratrem, filii parentes, atque hi vicissim filios, mariti uxores, destituti, & ipsi omni prorsus auxilio, semimortuos, atque insepultos, publicisque in compitis expositos relinquere cogebantur; Quumque Archiepiscopus, qui zelo eximio aliquando ubique occurrens, ac super cadavera è fenestris ejecta imperterrita constantia incedens, animarum saluti prospexerat, peste & ipse cum suis percussus, mundoque exemptus, Nobiles, Dynastæ, Curatores, Magistratus communi clade consumpti periissent, unusque ex Curatoribus, alter Senator, ac Præfectus superstites, in tanta rerum perturbatio[illegible] nec consternatę multitudini leges pręscribere, [illegible] ullum ruinę modum imponere satis essent, vastitas undique secuta est.

XXII. Malis hisce fames accessit. Pistores omnes ad unum perierant; Novi à Pręfecto substituti intra biduum exanimes inventi; privatos intra lares, qui cibis conficiendis intenderent, non

erant;

erant; hinc ad dies circiter decem, pane venali deficiente, innumeros etiam inedia confecit. Ignis alicubi ad conſumenda cadavera excitatus incendia ſparſit, quę militum opera ęgrè extincta. Sceleſtiſſimi quidam ędes diripere, pretioſa quęque expilando, ſibi vindicare, rapinis omnia complere auſi; quorum tamen audaciam Pręfectus, aliquot ex illis laqueo publicè ſuſpenſis, repreſſit. Perſtitit porro facies hęc Meſſanę ad Julii menſis Kalendas, quo ex tempore Deiparę patrocinio morbus vires remittere viſus; panis affluentiſsimè è Catana, Mylis, aliiſque locis, Carnes, Olera, ac cujuſvis generis, etiam ad delicias, cibaria, comportata ſuperſtites erexerunt. Hinc naves decem è portu Neapolitano omni commeatu onuſtas, Peritos in arte medica, magno ſtipendio conductos, pharmaca, ſubſidia Piiſſimus Rex Meſſanam direxit; illinc Senatus Panormitanus ſuppetias largiſſimè tranſmiſit; certatimque Generales Vicarii omnia ad vitam neceſſaria ſuppeditarunt; Nec ullus in Sicilia locus, populus, aut cętus fuit, qui ſacra, aut humana pręſidia dilectæ, ac potentiſſimę Urbi ultro non offerret, ejuſque vices condolendo, Dei Omnipotentis vindictam lenire, placationis hoſtiis, ſupplicationibus, ac votis non affatim curaret. Ann. Xpi. 1743

XXIII. Sed quę tunc Catanę exhomologeſes actę pręſertim fuerint, hìc recenſere, non incongruè ſuſcipiam: Supremus Magiſtratus, qui totius Inſulę incolumitati proſpiceret, fuerat Panormi opportunè à Rege inſtitutus; Hinc Catanenſis Senatus, penes quem curandę Sanitatis authoritas, ſocios aliquot ex Patritiis, quibuſcum onera partiretur, extra ordinem ſibi adſcivit. Hi porro, ubi diſpoſitis terra, marique cuſtodiis, ad patrię tuitionem, nihil omnino omiſiſſent; cęleſti-

bus

Ann. Xpi. bus præsidiis Urbem munire statuunt; indicta hinc
1743 die XII. Junii sollemni supplicatione, Sacrum Corpus amantissimæ Civis, & Patronæ Agathæ, hora XIV. publicæ venerationi proponitur. Quæ voces, quæ lacrymæ, ut salutaris ille vultus apparuit! Ad dignos pœnitentię fructus edendos, hortantibus interim multitudinem, efficacissimis verbis, piis, quibusdam Sacerdotibus. Senatus in atris vestibus, cultuque ad animi dolorem, ac humilitatem profitendam apto, sacro epulo reficitur, cujus exemplum Viri nobiles, omnisque cętus viri, ac mulieres sequuti; Preces subinde ab Ecclesia institutæ decantantur, ac Virginis Deiparæ Psalterium, ab universa multitudine summa religione, nec sine lacrymis, & singultibus recitatur, hisque, ac aliis id genus piis exercitiis, nec temporis momento interruptis, ad vesperas usque dies insumitur, quem jejuni omnes ferè cives transigunt. Religiosæ exin cujusque Ordinis familiæ ad sacra lipsana veneranda, nudis pedibus, lorisque sese verberantes conveniunt, moxque Sæculares Ecclesiastici omnes, qui variis etiam modis populum ad pietatem accendebant; ac hora circiter XXII. supplicatio per Urbem instituitur.

XXIV. Præibant Laicorum sodalitia, tum uterque Clerus, omnes atrati, nudipedes, quorum innumeri flagris se cruentabant; Corpus Beatæ Agathæ à Canonicis vicissim succedentibus, in ferculo delatum sequebatur, tum ingens mortalium turba, ut eam vix areę amplissimæ, ac semitæ caperent, religiosam claudebat pompam. Ubicumq; contingeret sacrum deponi onus, concio à Sacerdote habebatur, quæ ad pęnitentiam excitabat, fletumque ubertim, suspiria, ac lamentabiles eliciebat sonos. Ut ad aream majoris Basilicę supplicatio regressa est, populo instante, extra portam,

quæ mare ſpectat, ferculum effertur, quumque in proximum littus ſeſe civium frequentia effudiſſet verba rurſus ad eos fecit ferventiſſima ſacer Dei præco, aliuſque non minori zelo, & efficacia antequam in ſacello reliquiæ conderentur, peroravit, cujus extremas voces ingens totius multitudinis, pietatem, ac miſericordiam à Deo, pręſidium, ac tutelam à dulciſſima Cive implorantis clamor excepit. Ann. Xpi. 1743

XXV. Poſtridie Corporis Chriſti ſolemnitas eſt celebrata, divinumque Euchariſtiæ Sacramentum per Urbem, non inſigni illa, atque hilari juxta morem pompa, ſed lugubri potius, quæ pręſenti temporum conditioni reſponderet, in ſacco, & cilicio delatum. Nulla ſubinde ad menſis exitum dies præteriit, qua non aliquis ſive Clericorum, ſive Regularium, ſeu denique Laicorum cętus, ſtatutis horis ad divinam opem implorandam variis pęnitentiæ modis excogitatis, ad eamdem principem Eccleſiam conveniret; Sequioris ſexus collegia, innoxiæ ætatis pueri, ac puellæ ex ſingulis parçciis adfuere. Signa denique omnia Divorum, patratis prodigiis, præſtitiſque beneficiis illuſtrium, peculiari religione culta, è propriis ſacellis in magna populi frequentia per publicas areas deducta. Nonis Julii Sanctiſſimum Domini Clavum Caſinates Monachi protulerunt, quem ſępius in præſenti neceſſitate, ceu firmum pręſidium Catanenſes experti, longo agmine ſunt comitati. A die porro XIX. ejuſdem ad XVI. kal. Septembris preces rurſus publicæ in Cathedrali templo ſunt inſtitutæ. Singulis enim diebus adſtitere viciſſim ſodalitates, ac omnium prima Nobilium Alborum, Civiſque amantiſſimæ invocato nomine, & ſacris lipſanis fidelium venerationi propoſitis, apti ad mores componendos, fovendas virtu-

tes,

Ann. Xpi. tes, nec non fiduciam erigendam, ſermones habebantur. Feſto hinc Translationis ejuſdem Virginis occurrente, univerſi penè cives divinis perceptis myſteriis, Numen Optimum novis obſequiis demereri, ac Patronæ potentiſſimæ tutelâ, ſe non indignos reddere ſtudent.

1743

XXVI. Interim circa Julii medium nuncii non incerti de Meſſanenſium clade perlati, ex civibus vix millia undecim ſupereſſe, quum quadraginta & amplius antea numerarentur, vulgarunt; quamvis ad duo circiter millia in proximos pagos, villaſque, ac extra Inſulam dilapſos, proindeque hue confectos nonniſi octo & viginti in Urbe, compertum proceſſu temporis fuerit. In pagis verò ejuſdem ditioni obnoxiis, auſtrum ſpectantibus, millia decem; in iis verò, qui ad aquilonem vergunt, ſex. Cujus quidem ſummæ ratio, antequam morbus penitus eſſet extinctus, inita. De aliis porro opidis extra ditionem, certi nihil tunc vulgatum; ſęviebat enim adhuc contagio, apud Nyſam præſertim, ubi incolas penè omnes abſumpſit. A feſto autem Aſſumptæ Virginis die, in Urbe noviter afflatum neminem tradunt; VIII. Idus Septembres, Deiparæ rurſus Nativitati ſacro, peſtilentiæ ſigna omnino evanuiſſe, pauciſque exceptis in lęmocomio S. Alberti, quos virus, chronicum induens morem, ad menſes vexavit, reliquos optima valitudine uſos. In pagis denique paullo ſerius luem conſopitam. Anno MDCCXLIV. ineunte Civitas expurgari cępta, ac feliciſſimo ſucceſſu, Petri Poloni opera, quem Sereniſs. Veneta Reſpublica, Carolo Rege inſtante, ad opus cum aliquot ſociis tranſmiſerat, in priſtinam faciem menſe Martio reſtituta, ut Petrus ipſe publico inſtrumento ſub die XIX. Aprilis teſtatus eſt, quod habes typis Meſſanenſibus cuſum.

1744

Catanæ

XXVII. Catanæ interim minimè à piis operibus vacandum Cives censuerunt, atque à Nonis Januariis ad diem usque festum Beatissimæ Civis Agathæ, pro gratiarum actione, sacris ejusdem reliquiis in ara decenter ornata collocatis, ingenti frequentia quotidie in templo maximo conveniebant, comptaque oratione, collata ab amantissima Tutelari in patriam beneficia recensebantur, illudque non ultimum, quod suos ab excidio, & peste incolumes servasset, dignis laudibus commendebatur. Sollemnitate absque pompa celebrata, Sacrum Corpus die octava ad S. Agathæ Ecclesiam, de Fornace appellatam, inter plaudentium voces defertur, subindeque eodem cultu reductum, proximam maris oram lustravit, mox sollemni cantu vesperis exsolutis, universa multitudine acclamante, sua in abside conditur. Nonis Martii hora noctis x. vehemens terræmotus universam penè Insulam concussit, ædificia alicubi citra mortalium perniciem, labefactavit. Mense Aprili Ætna mons è supremo ore ingentem arenæ vim per dies aliquot evomuit, adeout tumulum ad australem crateris oram undique conspiendum ediderit. Tertio Nonas Junias pro Gratiarum actione in Catanensi Basilica, sollemni pompa, Hymnus decantatur; Divæ Agathæ, cujus lipsana in ara principe populus colebat, superisque, ob liberatam à Peste Patriam, grandi lætitia, ac religioso cultu litatum. Qui sacer quidem ritus, hoc anno, rursus, pridie Nonas Octobris, majori sollemnitate servatus, quo Messanæ urbi, summo totius Insulæ bono, commercium restitutum.

Ann. Xpi. 1744

1745



CA-



CATANÆ ILLVSTRATÆ

LIBER XII.

CIVIUM EXCELLENTIA.

FŒcundissima Heroum parens Catana, uti alienis non indiget, nec inhiat, sic propria tueri decora eò majori debet animi contentione, quò per summam injuriam inclytos quosque Cives sibi præreptos, ac veluti è sinu evulsos filios immerita dolet, suisque spoliis divites, Urbes complures impunè incedere advertit. Et fatalis hæc quidem illi calamitas, ut ita dicam, ab exordio accidit; Scriptorumque vel oscitatione, vel malitia obnitente, nullo deinceps ævo quivit vim hanc ab se propulsare, adeout perpetuis veluti concertationibus vacandum ei fuerit; nobisque, qui Patriæ caussam suscipimus, idipsum in præsenti contingat. Itaque illius jura hoc in Libro asserere, consueta moderatione cogimur; nihil enim antiquiùs honesto viro esse ducimus, quàm à dicteriis abstinendo, in sui patrocinium nonnisi rationes adsciscere, quodque citra veritatis dispendium nequit assequi, lucrum minimè reputare. Præstat porro ab iis Civibus auspicari, qui veram, solidioremq; patrio solo gloriam pepererunt, atque in supernam Civitatem adscripti, suis præsto esse non desinunt; Tum alios virtute, scientiâ, muniis, ac dignitatibus illustres, servata temporum serie, percensere, ac demum illos aliqua nominis fama celebres memorare.

morare. In eorum verò Elogiis, quos pietate in Deum, morumque innocentiâ eximios prædicamus, non aliam noſtris deberi fidem verbis, niſi humanam, quamque Summorum Pontificum, & Urbani VIII. vel maximè decreta permittunt, ſanctè profitemur.

CAPUT PRIMUM

CIVES SANCTITATE ILLUSTRES.

SS. Martyres ſub Nerone.

I. SAncti Martyres *Stephanus*, *Pontianus*, *Attalus*, *Fabianus*, *Cornelius*, *Sextus*, *Flos*, *Quintianus*, *Minervinus*, & *Simplicianus*, de quibus Romanum Martyrologium pridie kal. Januarias. Quamvis autem, qua gliſcente perſecutione, quove mortis genere Jeſu Chriſto teſtimonium dederint, omnino lateat, eos ſub Nerone in Annalibus ſtatuimus. Hiſce S. Hieronymi Martyrologium alios adjungit, *Coſtam*, *Ammonium*, *Fortunatum*, *Secundum*, *Sequentem*, *Amonem*, *Caledonium*, *Evelpiſtum*, *Exuperantium*, *Saturninum*, *Agnetem*, *Paulinam*, *Donatam*, *Nominandam*, *Rogatam*, & *Semnionem*; Illudque Bedæ inſuper *Donatum*, & *Paulum* addit, qui forte cum *Paulina*, & *Donata* confundi poſſunt. De illis conſule lib. 3. cap. 1. n. 12.

S. Agatha V. M.

II. *S. Agatha* Virgo, & Martyr. Hæc, ſi non tempore, meritis, ac celebritate omnium prima inter Catanæ cives agmen ducit, de cujus tamen natali ſolo acris, & antiqua inter Catanenſes, & Panormitanos viget controverſia, quam idcirco paullo fuſius examinandam ſuſcipimus. Illud autem occurrit primo: An ante Sęculi XVI. medium Agatham veluti civem ſuam Catana reverebatur, ſeque naturalem illius patriam dictitabat.

De Agathæ Patria controverſia antiqua eſt.

Joſe-

Josephus enim Bonafides in suo de S. Agathæ Patria libro scribere non erubuit, non ante annum MDLII, quo Placentinum prodiit *Breviarium*, ubi scriptum: *Agatha Catanæ nata*, controversiam hanc excitasse Catanenses, suaque possessione gaudenti Panormo litem intentasse. Verùm quàm turpiter à vero aberret Bonafides, unius Thomæ Fazelli testimonium clarissimè evincit. Ait enim hic decad. I. lib. 3. cap. I. *Tulit Catana viros illustres complures*; & post multa: *Catanæ urbi etiam Sepulchro Divæ Agathæ Virginis plurimum ornamenti accessit ..., Tametsi Panormitani de ejus Patria contendant*. Ejusdem subinde decadis lib. 8. Celebres Panormi cives recensens scribit: *Maximè insignis effecta est* Panormus *ortu Olivæ, & Nymphæ Virginum, & Martyrum*. Nec hilum de Agatha habet. Prodiit Fazelli opus, Panormo vel maximè addictissimi, anno MDLVII, in eoque elucubrando annos XX, ut ipse testatur, insumpsit, quo temporis intervallo controversiam à Catanensibus excitatam confingit Bonafides. Et mirari certe subit id Fazellum latuisse, nam inter Panormi Heroidas Agatham minimè enumerat, Panormitanosque de ejusdem patria, contendere, ac veluti Catanæ gloriam precripere tradit.

Non hìc Scriptores alios proferam, Mauritium nempe Catanensem Episcopum, qui translationem B. Agathæ sæculo XII. scripsit; Nicolaum Tedeschium, Catanensem, vulgo Abbatem Panormitanum, qui sub Alphonso, sæculo XV vixit; Matthæum Silvagium, qui suum opus anno MDXLII edidit; Antonium Philotheum de Homodeis, cæterosque longo agmine à Petro Carrera congestos, quorum una est sententia: Catanam Agathæ Patriam esse, Agatham Catanæ natalem habuisse, ut hinc veluti fabulam rejicias, apertique mendacii illorum Catanens. vetus opinio de Patria Agathę.

cffa-

esse tum arguas, Catanæ nonnisi circa sæculum XVI opinionem de S. Agathæ patria viguisse, Placentini Breviarii occasione. Quid quod Michaelis de Platia vetustum Chronicon, quod manu exaratum eruditorum manibus teritur, ac magna ex parte in nostris Annalibus exscriptum habetur, Catanæ ortam sępissimè Agatham inculcat? Claruit porro Michael circa annum MCCCXXX. Nec habet dissimilia Nicolai Specialis Historia, dudum typis vulgata, atque initio sæculi XIV. ab authore conscripta. Jam ab externis Historicis in medium adducendis abstineam; fortasse enim dicet aliquis, ex vulgi potius opinione id illis excidisse; Siculi autem omni exceptione majores censendi, quos utique æmulatio duas inter præcipuas Insulæ Urbes latere non potuit.

Panorm't. ab antiquo etiam id sentiũt. Neque is sum, ut novam apud Panormitanos de Patria S. Agathæ sententiam velim obtrudere, inauditamque Panormi, ante annum MDC, circa quod tempus Breviarii Reformatio fuit instituta, ut perperam nonnulli opinantur.. Digna prorsus inclyta virgo, quam sibi vindicent, suisque civibus accenseant præclarissimæ urbes, unde illis honor præcipuus, ingensque gloria accrescat. Quid quod Panormo suffragantur Græca Acta apud Metaphrastem, Menęa, Anthologia ab XI sęculo exarata; Nec pauci ex Latinis, qui Sanctorum Vitas ex Gręcis codicibus collegerunt, unanimi veluti voto Agatham Panormi natam vulgantes? Sanè Marianus Valguarnera, qui Patriæ partes Romæ coram Summo Pontifice egit, enunciato anno MDC, in supplici libello, quem habes apud Invegium Annal: Panor: tom.2. omnia, quæ ad caussam evincendam congeri poterant, argumenta proferens, non inanibus quidem conjecturis, sed solidis Scriptorum testimoniis, jam hinc à pluribus sæculis id sibi decus Panormum asseruisse demonstrat. Sed

Sed age, ut ad rem propriùs accedamus, has rationes Panormo faventes, authorumque testimonia ab eodem Valguarnera, atque ab aliis post ipsum, Invegio, Pirro, Bonafide expensa promamus. Tres itaque codices Græcos, eosque vetustissimos, manu exaratos primo in agmine constituit Valguarnera, *quorum unusquisque*, ait, *si peritorum judicio standum est*, 600, *aut* 700. *minimùm vetustate annos excedit. Unum in Vaticana Bibliotheca, alterum in Sfortiana, tertium Criptæ Ferratæ, in quibus non semel, atque iterum, sed sępius Panormitanam Beatam Agatham fuisse legitur.* Hos non ab uno authore conscriptos contendit, & si duo absque authoris nomine veniant; quibus quartum addidit è Farnesiana Bibliotheca, & quintum è Messanensi S. Salvatoris, unde ad eum vita descripta, & publico Urbis sigillo obsignata, missa fuerat. In his clarè *B. Agatha in Civitate Panormitana insigni sanguine orta dicitur*; moxque prope finem subditur: *Quintianus cum audisset, eam expirasse, statim res Virginis curavit habendas, & cum omnibus suis prætorianis Panormum petiit.* Concinunt Græcum Menologium, ubi de S. Agatha: *Ea erat ex urbe Panormo apud Siciliam.* Antologium, sive *Breviarium* Græcum è Vaticana Bibliotheca erutum, & anno MDXCVIII. de mandato Clementis VIII. R. P. vulgatum; ac Basilii Imper. Martyrologium, vetustissimum, omnique exceptione majus, quorum testimonia ex integro produxit. Denique Vitam à Metaphraste mense Februario inter alias SS. Historias digestam protulit, à Surio, & Lippomano latinè versam, communique calculo ab Agiographis receptam.

Eorumdē rationes ex Gręcis Codicibus

Hisce Græcorum authoritatibus subsidium à Traditionibus comparavit: *Missas*, inquit, *facimus traditiones omnes nostras, ne cui forte levio-*

Traditiones, & Cōjecturæ.

res videantur, quod suam Panormitani Civem Divam Agatham asseverant: domum, in qua illa orta est, Vineę aream, ubi nunc Ecclesia de ejus nomine est condita, Saxum illius vestigia, cum Panormo Catanam deferretur, divinitùs insculpta præferens. Denique conjecturis agendo rem firmare contendit; & primo inter solemnes supplicationes ab immemorabili Panormi institutas, ea est præcipua, quæ in honorem S. Agathæ quotannis celebratur; *quas*, inquit, *nonnisi Sanctis Tutelaribus, ac Civibus majores nostri decreverunt*. II. Tot Ecclesiæ ab antiquo sub ejusdem Virginis titulo consecratæ idipsum probant. III. Ado Treverensis Episcopus, aliique ex Latinis scribunt Quintianum cęsa Virgine, cum suo satellitio ad occupanda ejus bona, atque ad illius parentes occidendos, conscensis equis maturasse. At si Agatha Catanensis, frustra alibi Prætor bona, ac prędia diripienda, affinesque mactandos quæreret. IV. In Lectionario SS; Romæ in S. Cæciliæ asservato, Quintianus inducitur prędia, ac domos Catanæ Virgini Agathę promittens; non igitur domus, ac bona Catanę illi erant. De parentibus denique interrogata respondit: *Non solùm sum ex illustri, & nobili genere, sed sunt etiam mihi cognati insignes divitiis*. Si Catanensis Agatha, cur Catanę degens Prętor de familia, deque affinibus ab ipsa edocetur? Hæc Valguarnera, in supplici libello, de quo diximus ad Pontificem.

Epistola Catanensium ad Panormit. Suum adjecit Pirrus calculum illis verbis: *Coronidis loco addam Catanenses ipsos Panormitanis de soluta Caroli obsidione gratulatos, eam perscripsisse epistolam, quæ in tabulario Ecclesiæ Agrigentinæ reperitur. Ejus Epistolæ initium id est*: Panormitanæ Urbi Civitas Catanensium reverentiam, & salutem. Felix, & inclyta Urbs, nobilis, &

pręclara,

praeclara, Caput Regni, Exemplum fidei, &c. *In calce verò Epistolæ subdunt*: Ne obliviscaris inter omnes tuæ virtutis actus laudabiles, ac defensores illius Sacratæ Virginis Agathæ, quam in te ortam fama prædicat, & scriptura declarat, vexillum erigere, quæ in Christo Jesu martyrio coronata, liberationem Patriæ impetravit, &c. Dat. Catanæ Anno 1305. Huc usque Pirrus in not. Eccl. Panor. Producunt denique ex Latinis Breviariis duo: Maguntinum ubi: *Agatha Virgo Panormi claris natalibus oriunda*; & Spirense in quo: *Agatha Virgo Catanensis, Panormi claris natalibus nata*, legitur. Tum ex Scriptoribus Latinis Surium, Lippomanum, Flammam, Ribandineram, Sigonium, Sylvanum Razzi, Renatum Benedictum, Ughellium, aliosque genticos, ac præ ceteris Jacobum Adriam Mazariensem, qui sęculo xv scripsit. Quibus omnibus id credunt evincere Grecam Ecclesiam, Grecosque Historicos pro Panormi caussa stare, Catanam, vel proprii oris confessione in laudata Epistola idipsum ante Sæculum xiv tenuisse, nec nisi ex eo tempore hanc de S. Agathæ Patria quæstionem excitasse.

Catanensium Vindiciç

Hactenus Panormitanos audivimus, juvat nunc, Urbis nostrę vindiciis expensis, æquam ferre sententiam. Suæ igitur caussæ patronos præ aliis se habere Catanenses gloriantur *Notarios*, sive Tabelliones, qui Romani Pontificis mandato Martyrum in qualibet provincia res gestas literis consignabant; oculatos porro fuisse testes, quorum unus pluris est, Plauto teste, quam auriti decem, negabit nemo; hinc Græcis, ipsoque Metaphraste fideliores; Ex illo enim firmissimo apud Historicos principio constat, Synchronos, & fortiùs oculatos longè aliis authoribus præferendos. Hinc Cęsar Baronius in Apparatu ad Roman. Martyrologium

gium scribit: *Esse illa Martyrum Acta pura, & sincera, quæ, cum de illis quæstio haberetur à Notariis, publicisque Exceptoribus in Acta publica, quæ Proconsularia dicta sępe invenimus, inferebantur, atque inter alia publica documenta asservabantur.* Et in Annalibus Ecclesᵋ ad An. ccxxxviii. idipsum repetens subdit: *Porro hæc ipsa Acta, vel illorum potius exemplum à Christianis, collata pecunia, redimi solebant, & inter Acta Martyrum sedulo conservari.* Hæc, de quibus loquimur, Sanctæ Agathæ Acta, non ab Exceptoribus conscripta, sed à Notariis, uti monuimus, Christianis, ex publicis Actis, atque ex iis, quibus ipsi præsentes interfuere, exarata. Scio Tillemontium Tom.3. par. 1. illa veluti minus legitima improbare, ac nulla nostræ Virginis Acta, quæ synchrona dici possunt, admittere; sed optarem viri clarissimi assertum aliquo rationis momento probatum. Ex hisce aliunde testimonium profert S. Augustinus in Lib: Solil: cap. 22. nec ipsi adversarii de illorum fide aliquid usquam obtendere sunt ausi, ut merito exhibilari Invegius possit, Græcos codices iisdem præferre audens, cujus mox censiones refellam.

Ex Actis S.Agathæ latinis

Jamvero Actorum testimonia expendamus: Postquam accuratè B. Virginis passionem descripsissent, ac mortem, dum sacrum Corpus aromatibus condiretur, advenisse subdunt Juvenem quemdam, atque ad illius caput brevem ex marmore tabellam posuisse hisce characteribus literatã: *Mentem Sanctam, Spontaneum Honorem Deo, Et Patriæ Liberationem.* Hunc porro Juvenem esse Virginis Angelum suspicati, post pauca inquiunt: *Ut autem evidenter Scriptura, quam Angelus Dei posuerat, firmaretur, post anni circulum circa diem natalis ejus, Mons Ætna eructavit incendium, & quasi fluvius torrens, ita ignis vehemens, & sa-*

xa,

xa, & terram liquefaciens veniebat ad Catanensium civitatem. Tunc Paganorum multitudo fugiens de monte descendit, & venerunt ad sepulchrum ejus, & auferentes velum, unde erat coopertum sepulchrum ejus, statuerunt illud contra ignem venientem ad se, & ipsa hora stetit ignis divisus. Cępit autem ignis die Calendarum Februariarum, & cessavit die Nonarum earumdem, qui est dies sepulturæ ejus; ut comprobaret Dominus noster Jesus Christus, quod à periculo mortis, & incendii eos Sanctæ Agathæ meritis, & orationibus liberasset. Quis, quęso, hæc legens, ac Græcos omnino ignorans codices, in eam non ibit sententiam, Agathæ natale solum esse Catanam? Quis Patrię nomen hìc usurpari pro ea, in qua cęlis enata, non verò pro Urbe, ubi temporaliter mundo exorta illa fuit, in animum induxerit? Si enim ab initio narrationis alibi natam dixissent, hìc *Patriæ* nomen illas sortiri interpretationes oporteret, quas illi appingunt Panormitani. At quum ex superioribus Notariorum mens lateat, atque, ubinam nata illa fuerit, silentio obvolvant, Patriam Agathæ Catanam hoc loco appellantes, de temporali, ut assolet communiter accipi, intelligere illos, optimè colligimus.

Sed reponet aliquis Notarios nec Panormo, minus verò Catanæ suffragari; hinc, quum aliunde Virginis Patria ex Græcis constet, illud *Patrię* vocabulum nonnisi allegoricè Catanæ aptari poterit. Assumptum multis ostendit Josephus Bonafides, qui postquam Acta latina præ cæteris probavit, eisque primum attribuit locum, id animadversione dignum dicit, quod exordientes Tabelliones B. Agathæ passionem in urbe Catanensium, hanc Virginis patriam minimè astruunt. *Passionis Beatissimæ Virginis, & Martyris Agathæ, quę* Objectio I.

 passa

passa est in Provincia Siciliæ, in civitate Catanensium sub Decio &c. recitamus historiam. Quæ enim opportunior occasio dicendi, *quæ orta, & passa est in Provincia Siciliæ in Civitate Catanensium.* Hæc Bonafides. Verùm si recta hæc foret argumentandi via, Agatha neque Sicula dicenda: *Quę passa est*, inquiunt Tabelliones, *in Provincia Siciliæ*; igitur neutiquam orta in Sicilia; quandoquidem, quia passam Catanæ, non verò ortam affirmant, Catana ab eo honore repellitur. Deinde illam quemadmodum Siculam dubio procul vulgarunt, quod passam simpliciter in Sicilia, non aliunde ex remota provincia delatam tradidere, ita & Catanæ ortam satis innuere sibi sunt visi, quia Catanæ similiter passam, non aliena ex Urbe advectam literis consignarunt.

Refellitur

Jam aliud adversus Catanam non minoris efficaciæ momentum, ejusdem Bonæfidei judicio, produnt illa Aphrodisiæ, quibus hæc Tyrannum alloquens ajebat in iisdem Actis: *Ego domus, & prædia suburbana repromisi, ego varium ornatum domus, ego familias diversi sexus, & ætatis exhibui.* Ut quid enim Agathæ Catanensi nobili, æquè, ac diviti promissa hujusmodi? An domus, prædia, ornatus, famuli Catanæ illi deerant? At quis hæc non ridebit? Nobilis quippe Agatha, & ditissima, prædiis, domibus, famulis augeri poterat, & Catanæ, ubi alia habebat, augeri, ubi illi omnia, Proconsulis jussu, fortasse sublata. Uni Virgini integra civitas non erat, nec rerum tanta affluentia, ut locus dari ambitioni non posset. Qua quidem responsione id, quod ex Legendario S. Cæciliæ objecit Valguarnera, prorsus ruit. Illud obtendet alius, quod quintæ conjecturæ ejusdem Valguarneræ vim addit. Habent Acta, & Lectionarium, quod ex Actis conflatum: Quintianum de gen-

Objectio II.

Refellitur

Objectio III.

de gente, ac prosapia Agatham ante tribunal stantem interrogasse. Quorsum hæc petitio Virgini Catanensi, cujus nullo pacto ingenua conditio debuit ignorari? Verùm id ab adversariis primum quæro: Si Agatham uti nobilissimam sibi copulare, ut suæ famæ consuleret, Tyrannus cupiebat, ejusque nuptiis inhiabat, ut Greci codices ineptè tradunt, jam de nobili Agathæ genere instructissimus habebatur, ut quid igitur illam de genere, ac parentibus interrogat? Quid, si de progenie impius percontatur Judex, ut exprobrandi servilem Christianorum vitam sibi occasionem assumat? Denique mos in hujusmodi Judiciis is erat, ut de stirpe, patria, parentibus, professione rei sciscitarentur, quod ex aliis SS. Actis fit palam. Refellitur

Sed venio ad Achillem: *Tunc Quintianus*, Verba Actorum sunt, *corripuit iter cum suo officio ad investigandas facultates ejus, & ut teneret omnes de parentela illius, qui judicio Dei in medio flumine periit*. Quid, ajunt, clarius? Si Catanensis Agatha, ubinam parentes ejus, facultatesque extra Catanam investigandę? At si vetustis traditionibus standum, Agathæ bona, ac prædia ultra Symęthum in agro nunc Leontinensi, sita fuisse constat. Subdit Carrera scapham trajiciendo flumini inservientem, vulgo *Jarrettam*, prisca ætate à Quintiano appellatam in demersi tyranni memoriam. Quod si alibi hunc periisse contendas, Catanensis ager, ubi Catanensium bona, longe ultra Symęthum protendebatur, uti supra dixisse memini in Apparatu. Parentes quod attinet, capta ob Christianam confessionem Virgine, fugam capessisse, ne & ipsi eodem nomine comprehenderentur, facile est opinari; neque id incongruum; nam Majestatis rei Christifideles habebantur. Ad hos igitur de fuga retrahendos, atque ad bona invadenda

Objectio IV.

Refellitur

vadenda

vadenda Quintianus cum officio iter, conscensis equis, arripuit. Horrenda Quintiani morte subinde inaudita, *timor venerationis*, tradunt Acta, *erga B. Agatham crevit, & nullus deinceps molestus fuit generi ejus*. Veneratio, cultusque sacris Agathæ exuviis ab Judæis, Gentilibus, & Christianis Catanæ impensus paullo ante in Actis memoratur; mox adeo crevisse dicitur, ut nemo sit ausus deinceps generi ejus molestiam inferre. Ubi ergo Parentes Agathæ, nisi Catanæ, inque ejus finibus tunc temporis, quo Persecutio deseviebat; semel ac; qui in illos animadverteret exinde, fuisse neminem, innuitur?

Alia ex Actis Latin. ratio pro Catanensi Patria.

Illud hic minimè dissimulaverim, quod in sepius laudatis Actis lego: *Quintianus Consularis audiens*, inquiunt, *sanctam opinionem Virginis Deo dicatæ Agathæ multifaria intentione perquirebat, ut ad eam pertingeret*. Et post pauca. *Ut libidinosus autem ad aspectum Virginis pulcherrimæ oculorum suorum concupiscentiam commovebat, & ut avarus ad facultates ejus cupiditatis suæ fræna laxabat*. Quis hæc prolata de Virgine, dissitam longè Urbem incolente, nisi cecutiat, unquam crediderit? Tanta ne inter Siculas feminas pulchritudine, divitiis, nobilitate, ac gratia prefulsisse Agatham putabimus, ut longè positum Siciliæ Proconsulem alliceret? Quod si ad Virginis aspectum amoris igne, stimulisque agebatur concupiscentiæ, quis in remota degentem civitate, nisi imprudenter, illam crediderit?

Scriptorũ testimonia.

At quid Ego his immoror? Quotquot Latina Acta, Grecis, aut non attentis, aut tamquam falsis rejectis, probarunt, quos inter præcipui Sanctus Ambrosius, S. Isidorus Hispalensis, duo Adones Viennensis, & Trevirensis, S. Adelelmus Schiriburgensis, S. Antoninus Florentinus, Sanctus Vin-

Vincentius Ferrerius, Vincentius Belluacensis; Jacobus de Voragine, Claudius Rota, Petrus de Natalibus, Antonius Sabellicus, Jacobus Bergomensis, Raphael Volaterranus, recensentur, hi, inquam, communi calculo Agatham Virginem Catanensem, Catanenses ejus cives, Catanam Agathæ Patriam dixere, Agatham idcirco Catanæ natam autumarunt. Quod & alii fermè innumeri omni penè ęvo sunt fassi, eorumque nomina ex ordine Petrus Carrera Tom. 2. Grossus, & Franciscus Blonditius m. s. opusculo de Patria S. Agathæ uberius recensent. Et si enim Patavinum Antonium Ulyssipone ortum, Barensem Nicolaum, Tolentinatem alium Nicolaum vulgo audiamus, quod Bonafides opponit, Patavium nihilominus Antonii Patriam, Barenses, Tolentinates Nicolai Cives dixit hactenus nemo. Actum sanè agerem hæc uberius prosequendo; sufficit indicasse.

Interim de fide Græcorum codicum illud tonsis, ut dicitur, clarisque verbis profero: Nullimode circa ea, quæ in Actis Latinis desiderantur, Græcis esse deferendum. Neque id auderem nisi in Bollando ingentis eruditionis sacræ viro legissem. Nec sola viri authoritas, sed & ratio me movit; Quotquot enim extant Græci Codices, vel ab uno Metaphrastis fonte profluxere, vel non majorem sibi vindicant fidem, quam, quæ Metaphrasti debetur. Quod agmen hìc duxerit, negat Invegius: Acta quippe Græca omninò oportuit ante Metaphrastem in Gręcanica urbe, qualis Catana, ipso Divæ Agathæ ævo, de gestis ejusdem exarari; Hinc illa Codicis Vaticani Actis etiam Latinis præferenda censet, ex quibus alii, & Metaphrastes cum primis sua exscripsere. Verum hoc est prorsus ariolari, ipseque Valguarnera in his allegandis codicibus, ante 600, aut

Acta Gręca subleftæ fidei

700. annos conſcriptos illos vulgavit. Neque tunc temporis Catana, quando paſſa, ac torta B. Agatha, Urbs Græcanica dicenda, ſed potius Latina; tum quia Romanorum Coloniam ab Auguſto acceperat, tum quia Sedes Romani habebatur Proconſulis, qui Romanæ dialectus ſervabat uſum. Idipſum evincunt Agathæ cum Tyranno colloquia, à Notariis fideliſſimè literis conſignata. Denique Angelus ille, qui ad ejuſdem Virginis merita in Catanenſi populo evulganda, tabellam detulit lapideam, latinis literis illam ſignaſſe perhibetur. Accedit doctiſſimi Cajetani cenſio in Iſagoge cap. 42. qui, etſi Grçcum in Sicilia ſermonem Romanorum ætate etiam viguiſſe aſtruat, frequentiorem nihilominus Latinum in Coloniis præſertim, quæ lege Romanorum vivebant, fuiſſe ſcribit; Quod potuerint ergo ab initio Grçca acta exarari, non inficior, quod fuerint, aut debuerint, gratis confingitur. Codex ergo Vaticanus, quum ex loco vetuſtatem minimè aſſequatur, ex Metaphraſte deductus, aut ſi ex alio credunt derivatum, ejuſdem eſſe authoritatis, ac Metaphraſtis ſcripta.

Baſilii Menologium, &c.

Sed numquid idem judicium de Baſilii Menologio, de Antologio, ac Menęis ferendum? Idem prorſus, ex Metaphraſte ſcilicet fuiſſe conflata, Bollandus protulit; primus enim ille inter Grçcos SS. vitas collegit, ac in menſes digeſſit, datiſque ad Provincias Grçco ſubjectas Imperio literis, Acta ſibi comparavit. En Bollandi verba: *Menologium non eſt niſi Menęorum compendium, Menęorum verò collectores in Sanctis celebrandis Metaphraſtem ſequuntur, atque ipſa ejus quandoq; retinent verba.* Scio, quod apud Hiſtoricos de Metaphraſtis ætate non convenit; Alii enim ſeculo nono vixiſſe tradunt cum Baronio Annal: tom. 10. ad Annum 859. num. 13. Andreas Scotus in Biblioth.

Patrum

Patrum tom. 11. in sęculum XI. illum rejicit. Vulgata tamen opinio, uti in notis ad differ: 2. Artic. 4. Honorati à S. Maria legitur, fert, eum florere cępisse sub exitum sæculi IX, & sub initium sequentis, atque anno circiter CMXII, Imperatoris Porphirogenetę hortatu, operam suam de gestis SS. navandam suscepisse. Cęterum quamvis Basilius, cujus auspiciis Menologium vulgatum dicitur, anno DCCCLXVII. Imperii habenas fuerit assecutus, adeoque, cum ipsum Menologium, tum Menęa ante Metaphrastem exarata credi possint, non inde hęc majorem exigunt fidem; quum ea, quæ de Metaphrastis authoritate circumferuntur, fortius de illis codicibus, unde hic veluti è fontibus hausit, valeant produci.

Age jam, quę Metaphrasti, ejusque Collectioni ab clarissimę notę Historicis appinguntur, proferamus. Bellarminus lib: de Scriptor: Eccles: *Illud autem est observandum*, ait, *à Metaphraste scriptas fuisse de vitis SS. historias, multis additis ex proprio ingenio, non ut res gestæ fuerunt, sed ut geri potuerunt. Addit enim multa colloquia, seu Dialogos Martyrum cum Persecutoribus, aliquas etiam conversiones adstantium paganorum in tanto numero, ut incredibiles videantur; denique miracula plurima, & maxima in eversione Templorum, & Idolorum, & in occisione persecutorum, quorum nulla mentio apud veteres Historicos*. Baronius in quolibet Annalium tomo, ubi de Actis SS. à Metaphraste descriptis sese offert occasio, variis illum censuris sugillat. Ejus nempe enarrationes *certo auctore carere*; *in multis fide vacillare*; *multa in iis admisceri commenta, ut nullam prorsus mereatur fidem*; *in non paucis errare, atque hallucinari*; *quæ dicit in suspicionem merito posse adduci*: *Acta ejus alia periphrasibus* Metaphrastes dubię authoritatis ex Bellarmino. Ex Baronio.

circum-

circumducta, à pristino candore admodum aliena, magno præjudicio Ecclesiasticæ antiquitatis, alia, nec sine veritatis dispendio edita, scatere erroribus, historicæ veritati refragari, varia plane delira continere. In notis verò ad Martyrologium idipsum pluribi confirmat, arguitque eumdem authorem, ejusque Acta veluti *insincera, ac erroribus gravida* prodit, ut ex his omnibus plane eluceat, quanti Metaphrastis opera Ecclesiasticæ Historiæ parens faciat, & quonam loco ipsi habeantur.

Ex Bollando

Mitius de tanto viro se loquuturum spondet Bollandus, die v. Februarii; nihilominus, ubi de gestis, & Patria S. Agathæ, exemplum ex Actis S. Eupli Græcis cum Latinis collatis adducens subdit: *An non idem in S. Agathæ gestis suspicari possumus, addita nempe fuisse ab eodem Metaphraste, aut ejus Amanuensibus ex ipsorum ingenio, quæ in Latinis minimè habentur?* Et Simonis Wangherechii censionem exscribit: *Denique*, ait ille, *serio putem, quædam, quæ minus subsistunt, Vitis SS. inspersa fuisse per illam ingentem Scribarum Simeonis multitudinem, vel voluntate, vel casu. Unde jam nihil mirandum, quod in vitas à Metaphraste conscriptas quædam minus apta irrepsisse videantur. Non enim omnia spalmata auctor tam occupatus, utpote Magnus Imperatoris Logotheta, seu Cancellarius advertere potuit, à librariorum, vel ruditate, vel ausu profecta. Hinc minus mirum illud videbitur,* concludit Bollandus, *quod toties in suis Annalibus Baronius errare, & hallucinari Metaphrastem scribat.* Nec dissimilia habet Joannes Decterius: *Pietatem*, inquit, *Metaphrastis laudo, facilitatem non probo in credendo; ut credulus fuit, sic multa miscuit, quibus vulgares, nedum doctę aures arriguntur. Excusandus est, quod, ut Ego puto, suam non revidit, nec discre-*

vit

vit massam. Cęterum pietas non est patrona falsi. Divinum, ergo, Sanctissimum, Panormitanæ Patriæ assertores Metaphrastem deprædicent. *Pietas non est patrona falsi.*

Sed præstat Recentiores audire, atque cum primis Tillemontium in Admonitione pag. 13. qui loquens de PP. Ecclesiasticorum testimoniis: *Non credidimus*, scribit, *eumdem gerendum esse morem Gręcorum Menęis, aut Metaphrastis actis, sive aliis authoribus recens exortis, ętate scilicet, qua historiæ veritas popularibus traditionibus, & haud raro figmentis, de industria compactis, turbata erat, non credidimus, inquam, ullum gerendum esse talibus Historiis morem.* Progreditur Baillettus Orat. de Vit. SS. pag. 59. aitque: *Testari apertè possumus, propterea quod nimium exquisitam mentiendi artem teneret, Authorem istum à nonnullis Hęreticis Calumniatoris, & Falsarii loco habitum fuisse, ad monstra parienda à natura compositum, & licentiorem iis omnibus fabulis, quas pro Diis suis Gręcia gentilis invexit.* Idem in Admonit. pag. 14. *Abstinui quoque diligenter Authorum adeo perditorum usu, atque ipsa appellatione, uti sunt inter Græcos Metaphrastes, & Nicephorus.* Hinc Honoratus à S. Maria disser: 2. Artic.4. *Metaphrastes nibilo magis gestorum SS. collectione, quam exigua scribendi accuratione notus, usque adeo in pręsentiarum perditi apud nonnullos nominis author est, ut historiam aliquam ipsius fide recitare, idem prorsus sit, atque illam ad fabulas detrudere; Vi, atque potestate nominis ipse secum videtur suam ferre damnationem, atque in eo, nescio, quid injucundi deprehendunt, quod non modo eis interdicit, quominus authoris hujus suffragio aliquid muniant, verum tanta illos religio obstringit, ut ne in operibus suis appellent quidem, quin nomen horreant,*

Ex Tillemontio

Ex Bailletto

Ex Honorato à S. Maria.

horreant, atque aversentur. Et post multa: *Quoties indicare volunt Tillemontius, & Baillettus historiam aliquam fallacem esse, aut fabulosam, sufficit ipsis dixisse: Per manus Metaphrasticas traditam esse, aut Metaphrastis stylum olere*. Fert quidem subinde ipse Honoratus suum de Metaphraste judicium, commendatque virum ob ingens, quod molitus est opus, sed nimiæ credulitatis accusat.

Unde Lapsus in Metaphrastis scriptis.

Unde verò in Metaphrastis collectionem tot lapsus irrepserint, facile est judicare; ea enim, qua pollebat authoritate ad subditas Imperio Provincias scribens, undique sibi afferri exemplaria, Acta, Vitasque SS. præcepit; tum ex Bibliothecis, quotquot poterant inveniri comparavit, ac ternis Amanuensium classibus usus, Vitas SS. concinnavit, distribuitque per menses. Quumque imperii negotiis occupatus, cunctis intendere non posset, hinc factum, ut aliqua SS. Acta à Scribis concinnata, nonnulla ab ipsomet compacta ex iis, quæ ab Amanuensibus fuerant oblata, quædam denique ab illis digesta, ejus examini cursim subjecta prodierint. Non ergo vir sanctus, ac doctus falsa pro veris voluit nobis obtrudere, sed ita scripsit, uti in exhibitis exemplaribus adnotata invenit; Ceterum, quod mendosa, & corrupta exemplaria sit nactus, ipse non erroris, sed credulitatis notandus. Id maximè firmatur, quo ad S. Agathæ, aliorumque Siculorum vitas; quandoquidem occupantibus tunc temporis nostram hanc insulam Saracenis, legitima SS. Acta ad Metaphrastem minimè fuisse delata credendum. Hinc minus sinceris exemplaribus ille usus, in tot impegit errores.

Lapsus in vita S. Agat. ex Metaph.

At quinam hi lapsus toties decantati in S. Agathæ vita? Me tempus deficiet singulis recensendis. Unum, aut alterum utpote patentissimos

exhi-

exhibeam. Apparitores statim Catanâ egressi, Agatham Panormi degentem inveniunt, eique Pretoris decretum denunciant. Agatha Panormo patria relicta, inter lictores, Virgo tenerrima, & nobilissima, pede sese itineri committit, mox nulla interposita morâ, Catanam ingreditur, ac Quintiano sistitur, quasi non sint Panormus, & Catana minimùm centum viginti milliariis dissitę. Compactam sanè eam vitam ex Latinis actis ad Annum CCLI. exscriptis non inficior, sed ubi ab illis discedit, ac dissentit Author, in turpissimos labitur errores, quos singillatim Eruditissimus Grossus detexit, eumque praeivit Franciscus Blanditius Societatis Jesu vir Graecè doctus, qui spartam hanc exornavit, solidisque argumentis Graecorum mendis occurrit. Id interim Ego ab illis, qui Graeca omnino probant, peto: Si vero adamussim respondent, quae in Latinis deficiunt, produntque Graeci authores, oscitantiae arguendos fore Tabelliones, nemo negaverit. Nonne ad Agathae passionem, cujus historiam enarrandam assumpserant, quae Panormi sunt acta, pertinebant? Neque Bonafides obtendat, quae gesta sunt Catanae, literis consignanda sibi Tabelliones proposuisse, hinc parum soliciti de actis Panormi, citra culpam ea praeterire poterant. Est enim aliud *Passionis B. Agathae, quae passa est Catanae, Historiā texere*, ut spondent; aliud *B. Agathae passionem, quam passa est Catanae, recitare*. Non ergo id, quod Catanae gestum, sed quod ad Passionem B. Agathae, Catanae passae, videbantur spectare, eorum narrationis erat scopus. De incuria igitur notandi, qui Panormi acta veluti ex industria reticuerint, neque aliunde advectam Catanam indicarint. En quomodo ex silentio Patriae Panormitanae in Latinis evidens inde argumentum pro Catanensi eruitur.

Num

Græcorũ Codices pro Catana

Num porro suos non sortitur etiam Catana Græcos inter Agiographos fautores. Illa huc non advoco Græca Acta à Constantino Lascari translata, atque in Gazophilacio Messanensi asservata, quæ etsi, uti corrupta ab eodem Lascari, ubi de Patria agunt, Bonafides hariolando vulgaverit, id saltem dubio procul evincunt, Lascaris nempe ætate, ac circa sæculi xv. initium, ita penes omnes inconcussum, Agathæ natale solum fuisse Catanam, ut Græcus Scriptor, maluerit Acta emendare, quod perperam astruunt Panormitani, quam ita corrupta ad Latinos transmittere. Verum hęc obiter. Tot Græcis codicibus ab Adversariis productis unum Petri Siculi Encomium in S. Athanasium Methones Episcopum, Patria Catanensem oppono. Petrus hic domo Siculus, deque Sicula historia præ aliis instructissimus, Metaphraste vetustior, aut æqualis, vitę sanctitate, ac doctrina illustris, Argivorum Pontifex, tantæ denique apud ipsum Valguarneram authoritatis, ut ingenuè sit fassus, quum id Encomium vidisset, si Romæ productum à Catanensibus fuisset, statim se liti cessurum. Hic inquam Petrus sic de Catana scribit:

Petri Siculi

Catana in Sicilia longè inclyta, cujus, nunc si vellem, liceret eximia recensere, situm, pulchritudinem, aeris temperiem, aquarum naturam, ingentes feracium, & sterilium arborum sylvas, frequentem virorum sapientia, prudentia, justitiaque illustrium multitudinem, quos inter longè celeberrima Agatha Christi Martyr in hac nata, atque educata, nec non cruciatibus affecta, Sponso suo Christo grave testimonium impertiens, martyrii palma donata est; quæque, ut sacrosanctę sui corporis reliquiæ in charitatis patriæ sinu conquiescerent, gratum, acceptumque habuit, quæ liquidis ignibus ex multiplici superimpendentis Ætnę fauce, fluminum ri-

tu,

tu, defluentibus, & longè, latèque divagantibus; arcanam quamdam attulit necessitatem, suas reliquias venerandi; quemadmodum olim pium, superisque gratum illud onus, senio confectos parentes filiorum humeris impositos, reveriti ignes jussi sunt recedere, &c. Quæ sanè verba detorqueant ad universam Siciliam adversarii; an Catanæ debeant omnino aptari, nec nisi de Catana intelligi posse, quæ sacras Agathæ reliquias ab exordio veneratur, ac possidet, quæ ab Ætnęis incursibus sę toties, ejusdem meritis, immunem profitetur; quę superimpendentem eamdem Ætnam habet; quæ denique Piorum fratrum illustri facinore nobilitatur, penes æquum, prudentemque æstimatorem judicium esto.

Hìc S. Methodii Siculi etiam testimonia satis clara expendendi locus esset, doctissimo Bollando inrefragabilis fidei omnino credita, sed ab illis consulto abstineo; truncam quippe extare in Vallicellana Bibliotheca, Romæ, S. Methodii de Agatha orationem testatur Leo Allatius, opusculo de Methodii scriptis, reliquum à Siculo quopiam discerptum, quum lis de Patria ejusdem Virginis esset adhuc sub judice scribit, invida certè manu, ne tanti viri suffragio Panormus caussa sua excideret. Cęterum ex eodem fragmento id eruo, Methodio nempe Panormitanam patriam inauditam. Relata enim oratione Agathæ ad Deum habita post auditum Decii Tyranni contra Christianos decretum, subdit: *Exaudierat enim Agatha mulierculam quamdam pessimis artibus deditam cum Quintiano de se communicantem*. Hæc Aphrodisię cum Prætore tractatus innuunt, Catanæ habitos, quos certè Panormi inaudire Agatha neutiquam potuit. Post pauca scribit Methodius: *Itaque summa mentis constantia ad Tyrannum perducitur* S.Methodii

inter lictores lætabunda, cum de sui generis nobilitate, magnisque, & multis rerum fortunis nihil planè meminisset. Cur hìc, ne verbum quidem de his, quæ gesta Panormi vulgantur, & minimè quidem reticenda, ingerit Orator? An Methodius Constantinopolitanus Patriarcha, & natione Siculus ea ignoravit, quæ in Menęis scripta, per omnium ora ferebantur? Ignoravit plane, quia, vel nondum ejusdem ætate conficta, vixit enim circa annum DCCCXL, vel uti omnino falsa, fabulisque respersa, relatu indigna putavit. Reliquum Methodianæ Orationis, ingenuè fateor, supposititium habeo, hinc ad alia propero. Quod enim ad Traditiones spectat, de domo, vineę area, lapide vestigium referente, supplicationibus, sacrisque ędibus, & variis Agathæ dicatis, non inficior hæc omnia satis ostendere, quod apud Panormitanos pia de Agathæ Patria opinio multis ab hinc sæculis inoluerit; Ut porro, non absimiles conjecturæ, ductæque à veteribus Traditiones de domo Catanæ, de familia, de suburbanis prædiis, Catanensibus suffragari negant Adversarii, pari omnino ratione, nec iisdem lætari posse Panormitanos, Catanenses mordicus asserimus. Superest Epistolæ authoritatem à Catanensi Magistratu, ad urbem Panormitanam hìc expendere. Sed Author Chronici, ubi Epistola inserta, quam sibi fidem conciliet, statim ab initio suæ prodit Historiæ, ubi Menelaum Siciliæ, & Italiæ Regem, Elenam in Sicilia apud Tindaridem raptam somniatur; Epistolam porro omnino confictam arguunt stylus, nam multa interserit Scripturæ sacræ testimonia, viri Ecclesiastici eloquentiam sapiens; scribendi formulæ, Urbi inter primarias insulæ, qualis Catana, prorsus indignę, ac alia passim incongrua, quæ Petrus Carrera solertissimè detegit, ac sugillat. Extat

Traditiones, & Cōjecturæ pro Panormi Patria nullę

Epistolæ authoritas vana

tat Bartholomæi de Neocastro, Messanensis, Historia ejusdem ęvi gesta expendens, ubi varias etiam Epistolas offendere quisque poterit, ad eadem passim spectantes, à Neocastro suapte ingenio compactas; hinc Chronici author Epistolæ etiam dicendus; quin, & reliqua in eo relata monumenta, quum in publicis tabulis non extent, ex Chronographi mente prodiisse, nemo, qui sapit, negaverit. Addunt præterea Panormitani de suo, *Agathæ* nomen, diem, & annum, quæ tamen omnia in Autographo, atque in Muratorii, & Martene editionibus desiderantur. Verba demum illa, quæ Panormitanis partibus favent, veluti lacinia ad Epistolæ calcem videntur assuta, ut non immerito Epistolam totam chimeram quamdam Blanditius appellarit. Hæc cursim de Patria civis dulcissimæ, atque amantissimę excerpsi, longè majora, ac digniora ex libris tot illustrium Scriptorum in lucem editis proferri posse non dubito. Cui nostra displicent, illos consulat. Non is porro sum Ego, qui contradicendi animo, à quo sane vitio videor alienus, hęc voluerim pauca proferre, sed ut Patriæ vices rependens, uni vero studerem, auctamque inclytę Civi, ac Tutelari, celeberrimarum Urbium contentione, gloriam gratularer.

Gręca Acta attexere, uti alibi promisi, supervacaneum duxi; passim enim apud Surium, Lippomanum, aliosque occurrunt, iisque demptis, quę cum Latinis Actis concordant, reliqua jam superius expunximus. De domo, traditione ajunt, olim illam sitam, ubi hodie S. Placidi Monialium Ginęceum, hinc in rei monumentum, Epigraphe parieti austrum respicienti sub Divę Agathę statua appicta. Ad gentem, sive stirpem, quod attinet, nonnulli ex Asmaris progenitam Agatham dicunt,

Domus S. Agathæ Catanæ ubi sita

Gens, seu Stirps S. Agathæ. dicunt, Petrus Carrera ex Columnensibus Lib. 2. Tom. 2. At quis in tanta vetustate rem decernere ausit? Raum denique, & Pollam Virginis progenitores appellatos perhibent, quod nullo Scriptorum suffragio, sed vulgari quadam traditione probant. Reliqua, quę ad vitam S. Agathę, Translationem ejus Corporis, Velum, Sepulchrum, Tabellam, Tutelamque Patrię, atque ab Ætnæ ignibus liberationem spectant, passim in Annalibus habes.

SS. Martyres sub Decio. III. *SS. Saturus*, *Revocatus*, *Gelasius*, *Felix*, *& Saturninus* Martyres simul cum Agatha. Hos exhibet Martyrologium sub S. Hieronymi nomine vulgatum, de quibus ad Annum CCLI. Lib. 3. cap. 2. num. 2.

S. Everius Episc. IV. *S. Everius* Catanensis Pontifex, ac fortasse etiam Civis. Mos enim Ecclesiæ vetus fuit, ut ex Ecclesia propria Pontifices assumerentur. Floruit circa Christi annum CCLXII. De eo nos lib. 3. cap. 2. n. 33. ubi ejusdem gesta expendimus.

S. Euplus M. V. *S. Euplius*, seu *Euplus*, cujus Acta Gręca ad annum CCCIV. recitavimus, hìc verò Latina à Baronio, & Cajetano exscripta exhibemus, digna plane, quę Gręcis omnino pręferantur.

Latina S. Eupli M. Acta *Diocletiano octies, & Maximiano septies Coss. pridie Idus Augusti, in Catanensium civitate, cum esset extra velum Secretarii Euplius Diaconus, qui ab exploratoribus legere Evangelia, & docere Christianos deprehensus, ab illis tentus est, & perductus cum libro, proclamavit dicens, Christianus sum, & pro Christi nomine mori desidero. Audiens hæc Calvisianus Consularis, dixit, ingrediatur, qui clamavit. Et cum ingressus fuisset Euplius Secretarium Judicis Evangelia portans, unus ex amicis Consularis nomine Maximus, dixit, non decet tales chartas eum tenere contra regalem præ-*

præceptionem. Calvisianus Consularis dixit ad Euplium, unde hæc sunt? De domo tua exierunt? Euplius respondit: Non habeo domum, hoc & Dominus meus Jesus Christus novit. Calvisianus Consularis dixit: Tu ea huc deportasti? Euplius dixit: per me ea huc deportavi, sicuti & ipse vides; invenerunt me cum illis. Calvisianus dixit: lege ea. Euplius aperiens legit: Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum Cælorum. Et alio in loco: Qui vult venire post me, tollat Crucem suam, & sequatur me. Cum hæc, & alia legeret, Calvisianus Consularis dixit: Hoc quid vult esse? Euplius dixit: Lex Domini mei, quæ mihi tradita est. Calvisianus Consularis dixit: à Quo? Euplius respondit: à Jesu Christo Filio Dei vivi. Calvisianus Consularis interlocutus dixit: quoniam innotuit ejus confessio, interrogetur sub tormentis, tradatur tortoribus; & cum traditus esset, cœpta est secunda cognitio per quæstionem.

Diocletiano octies, & Maximiano septies Coss. 11. Actio
pridie Idus Augusti Calvisianus Consularis dixit ad Euplium positum in tormentis: quæ per tuam confessionem hodie dixisti, quid dicis modo de eis? Euplius libera manu signans sibi frontem dixit, quæ tunc dixi, & nunc confiteor, me esse Christianum, & Divinas scripturas legere. Calvisianus dixit, quare apud te habuisti, & non tradidisti has lectiones, quas Imperatores vetuerunt? Respondit Euplius, quia Christianus sum, & tradere non licebat; magisque expedit mori, quàm tradere; in his vita æterna est; qui tradit, vitam æternam perdit, ut eam non perdam, vitam meam do. Calvisianus interlocutus dixit: Euplius, qui secundùm edictum Principum non tradidit scripturas, sed legit populo, torqueatur. Cum torqueretur, dixit Eu-

plius: Gratias tibi, Christe, me custodi, qui propter te hæc patior. Dixit Calvisianus Consularis: Desiste Eupli ab insania hac, Deos adora, & liberaberis; Euplius dixit: adoro Christum, detestor Dæmonia, fac quod vis, Christianus sum; hæc diu optavi; fac quod vis, adde alia; Christianus sum. Postquam diu tortus esset, jussi sunt cessare carnifices, & dixit Calvisianus: miser adora Deos, Martem cole, Apollinem, & Æsculapium. Dixit Euplius: Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum adoro. Sanctam Trinitatem adoro, præter quam non est Deus. Pereant Dii, qui non fecerunt cœlum, & terram, & quæ in eis sunt. Christianus sum. Calvisianus Præfectus dixit; sacrifica, si vis liberari. Euplius dixit: sacrifico modo Christo Deo me ipsum; quid ultra faciam, non habeo; frustra conaris, Christianus sum. Calvisianus præcepit iterum torqueri acrius; cumque torqueretur, dixit Euplius: gratias tibi, Christe, succurre Christe, propter te hæc patior, Christe, & dixit sæpius, & deficientibus viribus, dicebat labiis tantum, absque voce hæc, & alia; Calvisianus intra velum interius ingrediens sententiam dictavit, & foras egressus afferens tabellam legit: In Euplium *Christianum edicta principum contemnentem, Deos blasphemantem, nec resipiscentem, gladio animadverti jubeo; ducite eum. Tunc appensum est ad collum ejus Evangelium, cum quo apprehensus fuerat, proclamante hæc Præcone:* Euplius *Christianus, inimicus Deorum, & Imperatorum:* Euplius *dicebat semper lætus: gratias Christo Deo; & cum ad locum perductus esset, genuflexus, prolixius oravit, & iterum gratias agens, præbuit jugulum, & à carnifice decollatus est. Sublatum est postea Corpus ejus à Christianis, & conditum aromatibus sepultum est.*

Extant

Extant ejusdem S. Martyris Græca Acta emendatiora apud Cotelerium, quæ inferius dabimus. Habes tom. I. SS. Siculor. Cajetani notas in Acta Latina superius recitata, ac duo insuper miracula Euplii meritis in urbe Neapoli, ubi ejusdem extabat Ecclesia, patrata, mulieris nempe manus elephantiasi correptas habentis, atque à Diabolo exagitatæ, nec non alterius Energumenæ; quę pristinæ saluti sunt redditæ.

Acta Græca S. Eupli Mart. ex Jo: Bapt. Cotelerio, latinè reddita. I. *Dominis nostris Diocletiano* IX, *& Maximiano* VIII. *Consulibus, ante diem tertium Kalendas Majas, in Illustrissima Catana in Secretario ante Velum, ut clamavit Euplus dixit illis: mori volo, Christianus enim sum. Calvisianus clarissimus Corrector dixit:* Ingredere, *qui clamasti. Utque in Secretarium introiit Beatus* Euplus, *immaculata ferens Evangelia, ad eum ait clarissimus Maximus: minimè decentem rem tenes, & contrariam edictis Imperatorum nostrorum. Calvisianus Corrector interrogavit: Hęc undenam sunt? An è domo tua delata fuerunt? Beatus Euplus respondit: non habeo domum, id verò Dominus novit. Calvisianus excepit: Tu ne illa huc apportasti?* Reposuit *Euplus: A me hùc allata sunt, ut ipse vides. Calvisianus Corrector dixit:* Et Ego *scio à te producta esse, me præsente, ac in conspectu meo. Quænam ergo illa sint, lege, ac affer mihi. Cumque legisset secundùm Matthęum, secundùm Marcum, secundùm Lucam, secundùm Johannem, Sancta Evangelia,* Calvisianus Corrector *dixit ad Beatum Euplum: Quidnam ista sunt?* Et *Beatus Euplus: Domini Dei mei, inquit, lex est, quam suscepi ab eo. Calvisianus: A quonam acceperis ea, eloquere nobis. Beatus Euplus: Jam dixi tibi, quod à Domino meo Jesu Christo filio Dei*

Græca Acta.

Dei ipsa habuerim. Calvisianus pronunciavit: *Quandoquidem innotuit nobis ipsius confessio, in Acta publica referatur.*

II. *Dominis nostris Diocletiano* IX, *& Maximiano* VIII. *ante diem primum Idus Augustas in Catanensi urbe ante tribunal astitit in medio Beatus Euplus, cui Calvisianus Corrector inquit. Quæ professus es, descripta fuere. Quid ergo hodierna die loqueris, declara nobis. Beatus Euplus dixit: Quæ tunc protuli, ecce nunc profiteor eadem. Calvisianus Corrector ait: Tenes Lectiones prohibitas? Beatus Euplus: Teneo. Calvisianus ad eum: Et ubi sunt? Videamus, quoquomodo complectantur. Beatus Euplus dixit: Apud me sunt. Calvisianus inquit: Si nunc habes ea, hic profer nobis. Beatus Euplus: Hic sunt. Tum Calvisianus Corrector: Extendatur Euplus, ac verberibus afficiatur, donec promiserit se Diis sacrificaturum. Multa igitur passus tormenta, tandem martyrii certamen sustinuit, fideique Orthodoxæ reportavit coronam. Calvisianus Corrector iterum sententiam tulit: Adversarii, & hostes maximorum Deorum nostrorum, quique non submittunt se, nec obtemperant Dominis Imperatoribus semper Augustis, in ipsos se sponte peccantes, cito debent disperdi. Quapropter jubemus, ut Euplus impiè nefarius, qui stultas syllabas nobis prędicavit in ęquissimo Tribunali nostro, gravibus suppliciis subjectus, gladii damnationi subdatur. Atque ita Beatus Euplus coronam immarcescibilem percepit à Christo Deo nostro. Quia ipsum decet gloria, & honor, cum sanctissimo, immaculato, & vivifico Spiritu, nunc, & semper, & in sęcula sęculorum. Amen.*

Vides in hisce Actis Calvisianum Correctorem vocari, qui in Latinis *Consularis* appellatur. Et Consulares quidem, quamvis Consules numquam

quam fuissent, Consulari nihilominus jure Provinciam administrabant, quibus Correctores quantum ad potestatem, officiumq: spectabat, suppares fuisse putaverim, Consularis enim, uti & Corrector sua sub potestate habebant Principem in eodem officio, Cornicularium, Tabularios, Commentariensem, Adjutorem, Ab actis, Subadjuvam, Exceptores, & cęteros Cohortalinos, uti ex notitiis Imperii Romani eruit Pancilorus, quamvis alia essent Proconsulis, alia Correctoris insignia, uti apud eumdem.

VI. *S. Serapion* Episcopus, ac fortè Martyr, de quo S. Hieronymi Martyrologium, atque alii Agiographi. Hunc S. Eupli Diaconi socium nonnulli credunt. Videsis, quæ de illo diximus lib. 3. cap. 3. num. 11. & rursus lib. 4. cap. 3. n. 1. & 2. S. Serapion Episcop. M.

VII. *SS. Nericia, & Veneria* Martyres, an etiam Virgines, incertum. Earum pura nomina in Martyrologiis sæpius laudatis leguntur. Eodem ferme tempore, quo Euplius, ac Serapion, sub Calvisiano Proconsule, mortem pro Christo oppetiisse dicuntur, uti ibidem lib: nempe 3. cap. 3. n. 10. innuimus. SS. Nericia, & Veneria.

VIII. *S. Severinus* Catanensis Episcopus circa Christi annum CCCXII, cujus purum extat nomen in Actis Translationis S. Agrippinæ Martyris. Hujus enim Ecclesiam consecrasse Męnis memoratur. De eo Cajetanus, Pirrus, Grossus, aliique. S. Severinus Epis.

IX. *S. Joannes* Syracusanus Pontifex. Ejus vitam idem Cajetanus ex Epistolis S. Gregorii Magni concinnavit, quam nos in epitomen redactam dabimus. Joannes Catanensis Ecclesiæ, dum ad ejusdem clavum Leo, hujus nominis primus, sederet, Archidiaconus, ob vitæ innocentiam, ac in sacris rebus peritiam Gregorio Summo Pontifici apprime charus, ejusdem operâ, post Maximianum S. Joannes Epis. Syrac.

virum Sanctissimum Syracusanus Pontifex deligitur, ac pallii usu decoratur. Scripserat ad Cyprianum Romanæ Ecclesiæ patrimonii in Sicilia Rectorem Gregorius, ut in Joannem Catanensem Archidiaconum, sibi, qui Maximiano succederet, digniorem visum, Syracusani convenirent, quammaximè exoptare, proin ut is eligeretur, summa cum prudentia ageret; operam verò cum Leone Episcopo præstaret, ut orbari se Archidiacono suo facile pateretur, majore Christi Ecclesiæ bono; remque ad votum Pontificis Cyprianus, qua pollebat dexteritate, difficiliis in plebe, ac clero compositis, absolverat. Inauguratus verò Joannes nedum pallium, uti diximus, sed & Syracusanæ Ecclesiæ privilegia, ut rata haberet Pontifex, impetravit; presbyterumque, quo in Catanensi Ecclesia usus fuerat, ac in novæ regimine uteretur, postulavit, atque obtinuit. Gregorius enim eidem Cypriano commisit, ut id etiam subsidii Leo Catanensis Joanni, ejus se Archidiaconum profitenti, præstaret. Strenue mox adversus Venantium Patricium pro Ecclesiastica jurisdictione Episcopus decertavit, meruitque à Gregorio commendari in literis ad Venantium, ubi illum SS. Pontifex objurgat, quod in Episcopi domum homines armatos immisisset, probeque nosse ait, qua Joannes gravitate, mansuetudine, & sanctitate polleret.

S. Joannis in pauperes Largitas. Jamvero, quum Langobardorum armis Italia vexaretur, idemque Gregorius redimendis captivis insigniter operam præstaret, Joannes noster illius studia æmulatus, pecunia per Candidum missa, Pontificem juvit. Hic verò Episcopi charitatem complexus, per epistolam gratias egit, magnifico largitatis ejus elogio, quod, quum penes se greges pauperum essent, semota adeo loca ad explendā misericordiam perquireret. Molitus subinde Joan-

Joannes profectionem ad Limina Apostolorum, etsi primùm iter vetuisset Gregorius, Ecclesiæ Syracusanæ bono, mox facta potestate, ut opportuno tempore Romam navigaret, primo vere anno DCII; profectus, sacrasque Urbis ædes veneratus, summis benevolentiæ signis à Pontifice affectus, ad suam Ecclesiam remeavit, & sacri Patrimonii curam sibi commissam per annum fideliter, ac solerter administravit. Ex negotiis porro Joanni Episcopo ab Gregorio commendatis, quantum ejus integritati, virtutique hic subniteretur, facile cognosci potest. Nam Decii caussam Lilybętani Episcopi, nec non Lucilli Melitensis cognoscendam B. Joanni demandavit; Accusationem Bizaceni Primatis Provinciæ Africæ ad illius arbitrium retulit, hoc addito præconio: *De ejus amore, in Omnipotentis Dei caussa certum esse; exequi ne dubitaret, quod Joannes ageret, putaret egisse Gregorium.* Controversiam de agrorum finibus inter Abbates S. Joannis de Bajas, & S. Luciæ prope Syracusas eidem commisit; utque in Catanensis Ecclesiæ Diaconos in calceis compagis procedere ausos inquireret, præscripsit. Summa demum cum laude Joannis meminit sæpenumero Gregorius: *Virum* quippe *providi consilii* appellat, laudatque ejus mores, justitiam, sapientiam, charitatis studium, rerum Ecclesiæ curam; Aliàs, scire se ait, sanctitatis ejus discretionem, & inditam illi tranquillitatem, de ejus sanctitate, & solicitudine certum esse, quod amorem suum, quoties se offerret occasio, in B. Petrum præferre non cessaret. Quæ quidem Joannis Episcopi præconia, quanti sint facienda omnes intelligunt, quum ex S. Gregorii gravissimo, ac integerrimo judicio proficiscantur. Aliæ virtutes.

Cæterum Joannem Episcopum prophetiæ spiritu clarum Author historię S. Zosimi prodit; Defuncto Prophetię donū.

functo enim S. Fausto, Abbate Monast. S. Luciæ, quum de successore inter Monachos certaretur, resque ad Joannem delata esset, hic Zosimum Sepulchri S. Luciæ, & Ecclesiæ custodem à Conventu illo sacro neglectum, ad se accersitum, in Abbatem Monachis dedit, ac ordinavit. Quot porro annos in Episcopatu vixerit, incertum, forte S. Gregorio superstes fuit, pieque, ac sanctè ex hac vita migravit, uti ex Scriptoribus, qui post eum floruerunt, abunde constat. S. Joannis in Ecclesia Syracusana festus dies 10. Kal. Novemb. colitur.

S. Agatho Rom. Pöt. X. *S. Agatho* Romanus Pontifex, Thaumaturgus à Græcis appellatus, ex Monacho Ordinis S. Benedicti ad supremam Petri Cathedram evectus, illam insigni vitæ sanctitate illustravit, rexitque annis III. mens. VIII. dieb. XV. Hunc falso Ciaconius Samnitem, & Aquilanum, in Valle Siculiana ortum dicit; insulse Maraphiotus Rheginum appellat; Utrorumque rationes Cajetanus convellit, & Mongitorius novissimè expungit in Bibliot: Sicula Tom. I. Siculum Agathonem Panvinius, Opmeerus, & Arnoldus Belga, quin & Panormitanum evulgant; Anastasius Bibliot: Siculum simpliciter affirmat; Hinc nonnullis Catanensis creditur, vulgarique fama apud nostros inter Cives recensetur. Obiit Anno DCLXXXII.

S. Leo II. Rom. Pöt. XI. *S. Leo*, hujus nominis secundus, supremus Ecclesiæ Pastor. Hic etiam Ciaconio, Maraphioto, Flori, aliisque Calaber, vallis nempe Sicilianæ, & Cedellensis, sive Rheginus dicitur; sed vere Siculus, atque ab eodem Ciaconio in m. s. libro, quem Sixto V. P. M. Breviarii Romani reformationem molienti, obtulit, Catanensis appellatus, quamvis Panvinius Aydonensem, sive Herbitensem vulgaverit; nonnullis enim, & Fazello cum primis, Aydonum recens oppidum ex ruinis Her-

bitæ

bitæ vetustissimæ Urbis surrexisse persuasum; licèt, fortasse verius, alii Herbitam prope Nicosinam Civitatem statuant. Cæterum Bonfilius Messanensibus Leonem accenset. De eo nos lib. 4. cap. 1. num. 22. ubi Effigiem S. Leonis plastico opere à dextris aræ principis in majori Basilica Catanæ olim extare diximus cum epigraphe: *Sanctus Leo II. Papa Catanensis*. Illius vitam habes apud Anastasium, & Cajetanum. Decessit sub annũ Christi DCLXXXIV. Seditque menses 10. dies 18.

XII. *S. Jacobus* Catanensis Episcopus, & Martyr sub Leone Isaurico, de quo ad annum DCCXL. lib. 4. cap. 2. n. 3. ubi ea expendi, quę de Jacobo apud Scriptores circumferuntur.

XIII. *S. Sabinus* urbis Catanæ Pontifex, & Civis. Consule ejusdem Libri, & Cap. num. 6. Successorem habuit S. Leonem Thaumaturgum hujus nominis secundum, qui, quod patriam Ravennam habuerit, ab hoc catalogo excluditur. Ejusdem acta, si lubet, vide laudatis locis à num. 8. S. Jacobus Episcop. Mart.

XIV. *SS. Serapion* Episcopus, & *Euplius* Diaconus Confessores. De Serapione paullo superius num. 6. Eum enim nonnulli Eupli Diaconi, & Martyris collegam faciunt; alii Confessorem, & sæculo VIII. effloruisse tradunt; hinc collegam illi, ac socium Euplium Diaconum, & Confessorem assignant. Consule lib. 4. cap. 3. num. 1. & 2. SS. Serapion, & Euplius.

XV. *S. Severus* Catanensis Episcopus. Purum nomen, ac cultum exhibet S. Severi nostri Cajetanus: *Celebratur Catanæ ad 9. Kal. Apriles S. Severus Episcopus*. Similia habent Ferrarius, Pirrus, & Grossus. Floruit ante Saracenorum in Sicilia tyrannidem. S. Severus Epis.

XVI. *S. Athanasius* Methonensis Pontifex, cujus vitam Petrus Argivorum Episcopus, natione Siculus scripsisse dicitur. Hunc ad annum S. Athanasius Epis.

DCCCLXXXV. statui lib. 4. cap. 3. cum Cajetano; sed quum Petrus anno DCCCXXX. in Graeciam profugus è patria transmiserit, ac Baronii judicio Anni tom. 8. anno DCCCLXX. floruerit, vereor, ne Athanasii aetas, ac mors pretiosa ad superiores annos sit revocanda, & circa saeculi IX. medium reponenda. Utut sit, ex Petri Epitaphio haec de gestis nostri Athanasii eruimus. Athanasius religiosis parentibus Catanae natus, unà cum iisdem, Saracenorum tyrannidem declinans, Patras Peloponnesi Urbem se contulit; ibi aliquandiu piis operibus intentus, terrenis rebus nuncium remittere cupiens, monasticum institutum amplexus est, sibique, ac Deo vivens contemplationi, & solitudini jugiter vacans, brevì virtutum omnium exemplar evasit, adeout ab Antistite Monachorum primùm collegio suo, quamquam reluctans praefectus, moxque per omnes Ecclesiae gradus ad Episcopalis dignitatis apicem sublatus, Methonensi Cathedrae in Peloponneso imponeretur. Sacerdotio auctus, longè majoribus sanctitatis effulsit radiis; otio numquam indulgens, commissum sibi munus explevit, utque bonus pastor Domini sui oves, proprias reputans, vitam periculis exponere, reliquos in rebus difficillimis praecedere, nudis tegumentum, famelicis cibum, mestis consolationem, viduis, pupillisque patrocinium impendere non destitit; nullo demum habito delectu, omnibus omnia factus, gregis formam sese exhibuit ex animo.

Ejus Virtutes. Quis autem commemoret longas, assiduasque vigilias, labores, sollicitudines, animi mansuetudinem, liberalitatem, prudentiam, aequitatem, vigilantiam, ardentissimum erga Deum, & proximum amorem, aliasque virtutes, quibus antiquorum Patrum gesta emulatus, illis jureoptimo comparari meruit?

meruit? Adveniente hinc ejus profectionis tempore, vili lectulo jacens, saluberrimis monitis suos, qui propriam, atque Ecclesiæ jacturam inconsolabiliter lamentabantur, adhortatus, oculis in cęlum sublatis inter illa verba: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, jucundus, ac placidus, animam ab Angelorum multitudine jamjam deducendam, exhalavit. Ad illius sepulchrum veluti ad perennem curationum fontem, ex longinquis etiam regionibus, ingens fit statim accursus, Deoque servum suum glorificante, maxima prodigia patrantur. Athanasium denique, qui rigidâ potentioris manus tyrannide oppressi patronum invocant, quibusque per calumniam aliena facinora adscripta sunt, vel per immeritam criminis inustam notam ad forum rapiuntur, strenuum propugnatorem agnoscunt, ac sentiunt. Hæc per compendium ex prolixa Petri Siculi jam laudati oratione digesta, ad Athanasii merita leviter adumbranda vix quidem sufficere probè novimus, sed brevitati studenti satis esse credidimus. Qui uberiora cupit, eamdem orationem apud Carreram Tom. 2. lib. 1, & Cajetanum consulat.

Mors, & miraculæ.

XVII. *B. Angelus Senisius*, Ordinis S. Benedicti Abbas. Catanæ ingenuis, piisque parentibus ortus, in S. Leonis Cenobio, quod alteri S. Nicolai de Arenis, & S. Mariæ de Licodia adnexum erat, hodieque Ætnęis lapidibus obrutum jacet, Deo consecratus, ad eam vitæ sanctitatem brevì pervenit, ut Monasterii Præpositus fuerit renunciatus. Quum verò ad S. Nicolai Cenobium Emmanuel Spinola Montis Regalis Archiepiscopus fortè divertisset, & Monachos aliquot ab Abbate Jacobo de Soris, quorum opera S. Mariæ de Maniacio Monasterium reformaret, postulasset, ad id munus noster Angelus electus, cum Joanne fratre

B. Angelus Senisius Abbas.

tre germano, ac decem aliis Monachis anno MCCCXLII. Maniacium sub ejusdem Archiepiscopi auspiciis contendit, & Bonamico illius Monasterii Abbati se totum subdidit. Multis autem insidiis, & injuriis à Monachis, quos è Maniacio Archiepiscopus deturbaverat, non semel appetitus, Deo protegente ex omnibus evasit. Septimo post mense nihilominus ab Abbate cum suis ejectus, ad propria remeavit. Verùm ab Jacobo S. Nicolai ad Emanuelem remissus, & ab hoc rursus pia fraude ad Jacobum destinatus, Messanam se contulit. Ubi, quatuor illos viros nobilitate celebres obvios habuit, quibuscum Benedictinæ regulæ institutum, ac S. Placidi memoriam instauravit. Dum hæc agerentur, ab Uberto Spinola Archiepiscopi fratre Angelus cum aliquot sociis Montemregalem revocatur. Hos Emanuel in sua Cathedrali Ecclesia, ut Monasticæ disciplinæ cultum collabentem in ea repararent, collocavit. Sed quum illos hominum, locique frequentiæ tęderet, ad antiquissimi Monasterii S. Martini ruinas è populorum tumultu longè dissitas instaurandas, ultro se dederunt. Manus igitur ad opus admoventes, constructis cellulis, & Oratorio, sedulum Deo famulatum inibi exhibent, ac primò quidem Angelus in Priorem ab Archiepiscopo electus, subinde à Summo Pontifice Abbas creatus, ejus renascentis Monasterii regimen diu tenuit. Quot miris virtutum exemplis ipse, ac socii ibi effulserint Pirrus ex Anonymo Authore de Reędificatione S. Martini, enarrat. Joannes autem Angeli frater, Cęnobio S. Benędicti de Burgetto præpositus, ibi etiam sese commendavit. Angelus uno & quadraginta annis magna dexteritate, & vitæ sanctimonia Abbatis munere perfunctus, anno MCCCLXXXVII. die XI. Novembris ad cęlos evolavit. Cujus corpus

ſub S. Gregorii ara in eodem Cœnobio tumulatur, ac nobili epigraphe, quam Groſſus in Decachordo exſcribit, ſubinde in Sacrarium infertur. Meminit de eo Cajetanus in Idea, Borellus de Præſt: Regis Cathol. cap. 2. Groſſus, Pirrus, & S. Nicolai Chronicon.

XVIII. B. *Paganus* Mediolano oriundus, nobilibus parentibus Catanæ natus, in S. Leonis laudato Monaſterio vitam Monaſticam profeſſus eſt. Hic omnium virtutum genere excultiſſimus, jejuniis, orationi, atque humilitati præcipuè addictus, maximam vitæ partem, hominibus ignotus, in pago Carbonis prope Randatium ſolitarius ſanctiſſimè tranſegit. Ad clauſtra reverſus, ubi ſpiritum gratiæ à Deo acceperat, vitæ ſpiritum reddidit IV. Idus Februarii. (Incertum quo anno) Ejus corpus variis poſt obitum prodigiis illuſtre, in eodem Monaſterio conditur, ſed quum temporis decurſu ſepulturæ locus ignoraretur, illum Paganus ipſe per ſomnium quibuſdam aſcetis manifeſtum voluit; unde eductum, atque in S. Nicolai tranſlatum, in Sacrario decentiſſimè ſervatur, ubi noſtris adhuc diebus penè integrum perſeverat. De eo Cajetanus, Pirrus, Groſſus, S. Nicolai Chronographus, ac nos in Monaſtica Sicil: Hiſt: Not. 4. B. Paganus Monachus.

XIX. B. *Guillelmus de Paulo*, aliis *Scammacca*, Catanenſis, S. Nicolai de Arena alumnus, ac Maniacii Abbas, & Reformator, quum id Cœnobium ſanctiſſimis inſtitutis, ac præclaris vitæ exemplis ad priſtinam diſciplinam revocaſſet, ibidem ad cœlos evocatus, plenus dierum piiſſimè obdormiit, pridie Kal: Decembres. Annus ignoratur; quamvis enim Cajetanus circa MCCCXV. reponat, multa ſunt, quæ per id tempus illum claruiſſe, prohibent affirmare, uti notit: XIV. in Hiſt. Sicula Monaſt. diximus. Sacrum Guillelmi cor- B.Guillelmus Abbas.

pus multis post annis penitus incorruptum, cucullo nulla etiam ex parte corroso, sub Choro inventum, & in arca decenter reconditum à finitimis populis, ac Brontensibus maximè, præcipuo honore colitur. Illum commendant Cajetanus, Pirrus, Grossus, ac S. Nicolai Chronicon.

B. Alexander Mart.

XX. B. *Alexander* Ordinis S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum pro Christi fide in Africa Martyr. Natus Alexander anno MCCLXXXIV. Catanæ nobilibus parentibus, ac piè, sanctèque educatus, quum ad XVIII. ætatis pervenisset, divino actus spiritu, patriam relinquens, peregrinationem ad præcipuas, celebresque in Sicilia sacras ædes incognitus suscepit, elusisque exploratorum, qui ejus inquirendi causa à parentibus missi fuerant, industriis, Messanam appulsus, conscensa navi in Sardiniam navigavit. Horribilem in itinere tempestatem perpessus, mox ut Calaris littus tenuit, Deiparæ, cui addictissimus erat, templum prope Calaritanum portum, sub Titulo S. Mariæ de Bono Aere, ingressus, votum solvit, moxque inter fratres, adjuncti eidem templo Cenobii, Ordinis de Mercede, Redemptionis Captivorum, enixis precibus admitti postulavit. Anno MCCCVIII. ætatis XXIV. Voti compos effectus, virtutes omnes viro religioso dignas, obedientiam vel maximè, humilitatem, erga Deum, ac proximos amorem sedulo excoluit; unde Sacerdotio insignitus, à supremo Ordinis Præfecto Valentiam, in Hispanias transmissus, ibi etiam vitæ innocentia, morum integritate, assiduisque ad populum sermonibus, ac divinarum rerum scientia sese commendavit.

Calaris Ordini S. Mariæ de Mercede nomen dat.

Tunetum proficiscitur.

Anno MCCCXIV. moderante Mercedariam familiam Arnoldo de Roscignolo, qui postremus fuit ex Laicis Equitibus Magister Generalis, Jacobo, Adulpho,

Adulpho, & Francisco Ottorico, qui ad opus Redemptionis Tunetum sunt destinati, socius Alexander adscifcitur, circa Decembris exitum. Dum porro in ea urbe suas exequerentur partes, incidit Alexander in captivum quēdam natione hispanum, qui penè animam ęgrotus agebat; Hunc, ut redimerent, Ismael impius Apostata enixè religiosos viros rogabat, sibique pecuniam numerarent; quumque alii, quod moriturum paucas intra horas putarent, renuissent, summa in Deum fiducia Alexander ad semivivum conversus, eumque, ut in Jesum Christum, cujus fidem sectabatur, constanter confideret, adhortatus, mox sanitati restituit, solutoque pretio à servitute exemit. Ad hæc Ismael, qui patre Judęo natus, Appulus, sacrisque aquis ablutus, Leonardus antea dicebatur, atque à fide defecerat, Alexandro ingentem pecuniæ vim spondet, si sanandi ęgros virtutem secum communicaret. Nactus idcirco vir Apostolicus occasionem, nequissimo nebuloni apostasiam exprobrat tanta verborum efficacia, ut divina intus operante virtute, Ismael, sive Leonardus de repente mutatus, fugam cum Alexandro, & sociis pacisceretur. Aurum igitur pro Captivorum redemptione offert, atque è lupo in agnum conversus errores suos detestatus, impia dogmata damnat. Conducto navigio, nocte intempesta omnes evadere statuunt; Verum de Ismaelis defectione edoctus Muhammedanus Princeps, fugientes intercipere conatur. Et navis quidem inobservata è portu solvit, sed in cymba deprehensus Alexander, reductusque in Urbem, verberibus primùm, & contumeliis afficitur, mox Satrapum concilio præsentatus, quum Christi Domini fidem clara voce, constantique animo extolleret, impiisque Muhammedi legem detestaretur, ejusque sectatores argueret,

Mortem pro Christo passus

ret, morti addicitur. Excitato igne ante palatii fores, in rogum nefarii satellites Alexandrum piis precibus agonem suum Domino commendantem injiciunt, ubi brevì consumptus ille ad cęlos evolavit. Reliquiæ corporis à Christianis clam inde sublatæ loco honorifico conduntur.

Hæc ex Alexandri vita, quam Seraphinus à S. Catharina Ordinis Mercedarii per Italiam Chronographus concinnatam anno MDCCXII. Catanam transmisit, ac per acta Dominici Zappalà Publici Catan: transumptam eodem anno die III. Augusti Indic: V. legimus. Eam porro ex Generali Ordinis Chronico Tom. I. cap. 16. pag. 302. exscripsisse fatetur Seraphinus, cujus author Alonsus Remon. Consonat porro iis, quæ de eodem Alexandro habentur in Bullario ejusdem Ordinis in vita 7. & ultimi Magistri Generalis num. 3. Meminit denique Alexandri Ribera, & Talamanca in lib: *Merces Mariæ Coronata*.

B.Bernardus Scammacca Ord.Prędic.

XXI. *B. Bernardus Scammacca* Ordinis Prædicatorum generoso sanguine Catanæ ortus. Hic adolescentiam licentiorem egit, quam Christiani mores paterentur, donec in rixa gravi vulnere accepto, dum lecto decumberet, serio de animæ salute cogitans, vitæ anteactæ pęnitudine duceretur. Ad meliorem itaque frugem revocatus, religiosum S. Dominici habitum, mox ut convaluit, exposcens, post multas preces obtinuit. In claustro magnis virtutibus emicuit, summaque vitæ asperitate, pręterita errata diluens, cunctis exemplo præluxit, ab intima cum Deo conjunctione maximè commendatus. Sacerdos factus, animarum saluti summo zelo incubuit, regendisque fratribus adhibitus, eximiis moribus omnes sibi devinxit, atque ad perfectionem excitavit. Sępissimè divina passus, dum contemplationi ferventius inhære-

ret

ret Angeli familiari apparitione dignatus est: hinc aliquando, eumdem Bernardo assidentem, ac lucernam dum legeret ministrantem Cœnobii Præfectus, aliique Monachi viderunt. In horto divinis laudibus intento aviculæ suavi concinentes melodia, ac circumvolitantes astitere. Pane, dum Cœnobio præerat, deficiente, calathos annona refertos impetravit. Viro nobili, honestæ puellæ insidianti, suasque admonitiones respuenti, mortem infra triduum prædixit, quam ille infeliciter subiit. Sanctissimè III. Idus Januar: MCCCCLXXXVI. in patria decessit, ubi ejus corpus incorruptum die IV. Februarii à confluenti populo colitur.

XXII. B. *Thomas Clemens* vitæ innocentiâ, sanctitatis opinione, ætate demum Bernardo omnino æqualis; ejusdemque ordinis alumnus. Floruit circa annum MCCCCLXXXVI. In Cœnobio S. Citæ Panormitano, ubi piissimè obiit, sepultus. De eo Pirrus, & Grossus, qui Thomę Schifaldi Dom. m. f. opusculum apud Hyacinthum Montaltum allegant. B.Thomas Clemens Ord.Prędicat.

XXIII. B. *Eustochium Calafata, & Romana.* Multa de Eustochii patria circumferuntur, nonnulli enim Catanæ generosis parentibus natam evulgant; Siculi pene omnes ex Patre Catanensi, Matre verò Messanensi, Messanam habuisse patriam affirmant. Eustochii Elogium consule apud Cajetanum, & Perrimezium. B. Eustochium Virgo.

XXIV. *Beatus Joannes de Falco.* Hunc Netinum astruunt Pirrus, Littara, aliique ex Siculis. Philippus verò Paruta, Carrera, & Grossus Catanensibus accensent. Prædicatorum instituta in S. Dominici Catanæ Cœnobio professus, abstinentia, humili sui ipsius despectu, orationis studio celeberrimus, magnam sibi comparavit sanctitatis opinionem; sacris, ac divinis literis eruditus, saluta- B. Joannes de Falco.

salutares conciones quotidie ad populum habens; innumeros è vitiorum cœno ad salutis viam traduxit; Plura sui ordinis Cœnobia sanctissimè rexit, atque è fundamentis nonnulla excitavit. Illum æquè populares, ac Dynastæ summa veneratione prosequebantur, hinc Grosso memoratum, quod obvius ei aliquando Antonius Moncada Adrani Comes, equo desiliens, manum publicè pronus exosculatus, ejus se precibus commendarit. Nec prodigia defuere, quibus à Deo honoratus, eximiæ virtutis suæ famam immensùm auxit. Anno MDVII. Spiritum Creatori reddidisse Joannem Grossus enunciat; sed superstitem adhuc anno MDXXIII, ac Friderici Abbatelli Cameratæ Comitis ultimo supplicio afficiendi noxarum confessionem excepisse scribit Decad: 2. lib. 10. Fazellus; piissimumque, ac religiosissimum Virum appellat. Conditus jacet in eodem S. Dominici Catanensi Cœnobio. In quo m. s. codex Petri de Natalibus de Vitis Sanctorum extat, ad cujus calcem

Visitatio Reliquiarum B. Agathæ V. M. habita in anno 4. Indic. 1501. 19. Aprilis die Lunæ 2. noctis hora, legitur cum hac nota: *Hoc notamentum extat registratum manu P. Fratris de Falco Catanensis Ordinis Prædicatorum.*



CA-

CIVES VITÆ PERFECTIONE, MORUMQUE INNOCENTIA PRÆCLARI.

I. P*Aulus Camuglia* solitariæ vitæ studiis delectatus, diu extra patriam, omnibus ignotus, ætatem traduxit; ad suos reversus, atque extra Urbem angusta cellula inclusus, ex eleemosynis sponte oblatis victitans, senex tandem piissimè in Domino obdormiit, cujus corpus summa veneratione dignum est habitum. De eo Grossus Decach: m. s. Chor. 9. Claruit anno MDXIII. Pauli virtutes ęmulatus *Petrus Montana*, & ipse Catanensis in proximum Urbi collem secedens, Eremum ibi condidit è loco *Lameccha* appellatum. Id verò nomen inditum à Muhammedanæ superstitionis antiquo fano, uti alibi dictum. Nonnullos subinde propositi socios Petrus ibidem habuit, ac *Paulum Sigonam* nobilissimis majoribus ortum, vitæ, morumque probitate præcipuum, successorem est nactus. Commendatur porro Paulus hic noster ab eruditione etiam, & in sacris literis peritia pręsertim, quæ ad Conscientię Quęstiones attinet. Decessit verò piè, ut vixerat, suarumque facultatum Anachoresim eamdem hæredem ex asse inscripsit anno MDLXXVI.

Paulus Camuglia Eremita.

Petrus Montana Eremita.

Paulus Sigona

II. *Alexander à Catana* Ordinis Minorum, quos *Capuccinos* appellant, de quo in Annalibus hæc Boverius tradit. Alexander à Catana in ipso tyrocinii, ac Religionis ingressu velut erumpens gemma, magna sanctitate floruit, ac virtutum odorem efflavit, humilitatem quippe, suique ipsius contemptum, obedientiam, paupertatem, ac orationis studium, præcipuè coluit, maximaque vitę auste-

Alexāder Ord. Capuccin.

austeritate cęteros pręcelluit, sed modestia cumprimis, animique, & corporis castitate enituit, ut ne vultum quidem muliebrem, postquam sese ordini addixit, usquam aspexerit, aut oris sui cuipiam fęminę facultatem fecerit. Gravissimo morbo tentatus, invicta constantiâ diutinos, gravesque dolores sustinuit, eoque tandem excoctus, in ipso juventutis flore Agyrii anno MDLXXII. humanis rebus exemptus ad cęlos migravit. Ipsa autem nocte, ac hora, qua decessit, piæ cuidam fæminæ tertii Ordinis sese videndum præbuit, illud subdens, ut die crastina ad Capuccinorum templum se conferret, ibique desiderium, quo videndi Alexandri diu tenebatur, expleret. Mane summo illa Ecclesiam adit, atque Innocentissimi juvenis exanime corpus à fratribus deferri intuetur, obitusque horam eamdem fuisse didicit, qua ille sese per visum conspiciendum dedit. Claruit subinde, uti idem Boverius testatur, noster Alexander miris etiam prodigiis, unde illius effigies inter illustres ejusdem Ordinis pietate viros condigno cum elogio videtur. De eo etiam Grossus.

Agatha Platamonia.

III. *Agatha Platamonia*, ut natalibus, ita & virtutibus inclyta. Hæc ubi primum Clarissarum Montis Virginum Cęnobium sub arctissima paupertate institutum Catanæ intellexit, è suo S. Luciæ, in quo sub S. Benedicti Regula professionem emiserat, in illud transferri obtinuit. Ibi insignis pęnitentiæ exemplis effulsit, traditque Grossus, quod ex uno ad aliud commigrans Agatha Monasterium, totum viæ spatium flexis genibus incessit. Solitudini verò adeo addicta fuit, ut claustra, aut numquam, aut vix percurrere visa, sibi ipsi ac Deo vacare perpetuo studuerit. Paupertatis amantissima, redditus, pecunias, ac prædia sororibus sponte etiam oblata constantissimè recusavit.

cusavit. Prophetiæ dono illustris multa prædixit futura, tanta denique sanctitatis opinione nota, ut Philippus II. Hisp: & Siciliæ Rex, ejus orationibus se commendarit, ut Regales literæ in Senatus Tabulario asservatæ testantur. Sanctis denique operibus cumulata anno MDLXV. ad Dominum migravit.

IV. *Paulus à Catana* ordinis Capuccinorum, divinis revelationibus clarus, ac tantæ cum Deo unionis, ut secreta animarum, ac intimos conscientiæ recessus apertissimè cognosceret, ac nobili cuidam sibi familiari occultas cogitationes, quas sive bonas, sive malas conceperat, sæpissimè revelaret. Orationis studio præcipuus, divina non raro patiebatur, atque in ecstasim aliquando raptus, omni prorsus sensu, ac motu carere visus, ubi ad se rediit, *Oh quam terribilia*, ait, *sunt judicia Dei, iis præsertim, qui neglecta cęlesti vocatione, ordinis sui legibus segniter satisfaciunt*. Catanæ fatum invenit anno MDLXXIX. commenditurque Boverio, & Grosso, Virisque à vitæ Sanctimonia præclaris accensetur. Paulus Ord. Capuc.

IV. *Leo Catanensis* ex Minoribus etiam Capuccinis, cujus merita variis prodigiis Deus manifesta voluit. Natus honestis parentibus Leo, pisque exercitationibus adolescentia traducta, ut ordini nomen dedit, humilitati perpetuo studuit, obedientiam, paupertatem, castimoniam, aliasque virtutes religioso viro dignas summa contentione sectatus, ab animi mansuetudine præcipuus evasit, stygiisque furiis terrori fuit. Frangendo corpori continuò intentus, dies, noctesque cum Deo transigebat, eo mentis ardore, ut pluries è terra elevatus, ac divina passus, radiis undique circumfusus, flammasque ex ore emittens à fratribus videretur. Quin oranti aliquando de nocte una Leo Ord. Capuc.

cum Andrea populari suo, ac collega, de quo inferius, Randatii in Ecclesia, globus igneus supra ædis tectum à rustico quopiam visus adfuit; nec semel malignus spiritus fragore, ac strepitu terrori esse incassum conatus, elusus, victusque discessit. Literarum expers de rebus divinis mirè loquebatur, saluberrimisque consiliis, quotquot ad eum, veluti ad oraculum confugiebant, sæpissime juvit. Familiari Beatissimæ Virginis colloquio dignatus, ab ea Fratris Cypriani Catanæ defuncti sortem edoctus, aliaque humanæ menti impervia, ac futura etiam didicit; Dominici Rodii manes instar columbæ candidissimæ in cęlum evolare conspexit. Randatii, ubi ostiatim pro fratribus alendis diu mendicans, vixit, adeo sanctitatis ejus fama percrebuit, ut certatim pallii fimbrias, laciniasque vestis homines tangere, atque exosculari contenderent, particulasque inde sibi pio furtu surriperent, quæ sane opinio per Insulam quoque universam permeavit, cui firmandæ miracula accesserunt; insanabilibus enim morbis crucis signo medebatur, emigrania vel maxime laborantes sinu excipiens ab omni molestia liberabat. In Patriam remissus, quum graviter ad mortem ægrotaret, ac nocte intempesta ad ejus cellam infirmorum minister accederet, acriter primo illum contendentem, dulcissima mox miscere colloquia audivit; ingressus, radiantem undique cellam videt, quæ tamen lux subito disparuit, percontatusque quidnam id esset, respondit Leo, Dęmonum turbas diu peccata præterita, per pęnitentiam deleta sibi objecisse, sed penè suffocatum, in summum discrimen adductum misericordiæ Matrem precibus solicitasse, quæ sereno vultu suo, abactis erebi furiis, illum solata, ad cęli gloriam invitaverat. Quibus prolatis placidissimè expiravit. De eo Boverius, Grossus.

Ejusdem mors pretiosa.

VI. *Vincentius Morsellus* Catanæ honesto loco natus Eremi S. Hieronymi, vulgo *Lamecca* incola, profunda animi demissione, charitate in pauperes, orationis studio præcipuus, ac Prophetiæ dono etiam illustris. Illum Philippus II. Hispaniarum, ac Siciliæ Rex licèt absentem per epistolas sæpius consuluit, ab eoque de Patriæ statu, virisque ad regimen aptis edoceri voluit, ejusdemque orationibus, se, Regiamque prolem commendare consuevit. Regis literas, egregium Vincentii sanctimoniæ monumentum, Franciscus Asmundus, Vir Patricius, teste Grosso, asservabat. Piis tandem operibus, eximiisque virtutibus cumulatus, die, qui ab Annunciata Deipara religiosus habetur, Martio mense anno MDLXXX. eadem, quam prædixerat, hora, Missæ peracto sacrificio, spiritum Creatori reddidit. Vincentii virtus in eo summopere enituit, quod amplum patrimonium, nedum in vita, sed post mortem quoque pauperibus sublevandis, ac puellarum Virginum dotibus persolvendis addixerit. Sacello enim Christi Domini è Cruce pendentis in principe Catanensi Basilica, hærede ex asse instituto, ejusdem Rectoribus curam ultimæ suæ voluntatis exequendæ commisit. Vincentius Morsellus Eremita.

VII. *Blascus Statella*, generis nobilitate illustrissimus, Mungiolini Dominus, Arcis Ursinæ Præfectus, ac primus Hyspicefundi ex hac familia Dynasta. Hic adolescens Reipublicæ admotus honores omnes percurrit, intimusq; Caroli V. Cæsaris Domesticus, & Pincerna, eidem ob singularem prudentiam, morum integritatem, animique virtutem charus in paucis fuit. Extincta Uxore, ex qua liberos susceperat, in eo casu fluxam, atque caducam humanarum rerum conditionem serio animadvertens, anno ætatis LV. loco Vincentii filii, Blascus Statella Soc. Jesu.

qui

qui in Mamertino Societatis Jesu Tyrocinio piissimè fatum invenerat, sese eidem Societati addixit. Literarum non omnino expers oblatam Sacerdotii dignitatem repudians, abdicatisque delicatioris vitæ commodis, atque honoribus, laboriosum, infimumque *Coadiutorum Temporalium* ordinem impetravit, in quo humilia quæque, ac sordida munera in deliciis habuit. In Tyrocinio Messanensi paulisper commoratus, Catanam remissus est, ut in ea civitate, in qua summos gesserat honores, virtutum suarum spectaculum nobilitati præberet ipsa novitate præclarum. In Collegio igitur Catanensi Janitorem agens, ut publico eo obsequio animi cupiditates frangeret, & humanæ gloriæ appetitum temperaret, decimo tandem mense, ex quo Societati se adjunxerat, ibidem summa virtutis opinione è vivis exemptus est, postridie Idus Aprilis anno MDLXXIX. Hæc ex Emmanuele Aguilera eruimus de Ortu, & Prop. Soc. Jesu in Sicil: par. 1. pag. 223. Qui sequenti anno *Ignatii Paternionii* meminit, in ipso adolescentiæ, & studiorum cursu Messanæ defuncti, præclarissima indole, ac morum innocentia præditi, sed miro cum primis obtemperandi studio etiam in arduis, nec non Christiana simplicitate insignis. Commendat quoque idem Aguilera *Erasmum Marchesium* Catanensem ejusdem Societatis, qui grassante pestilentiali morbo infirmorum curæ totus incumbens, universamque Civitatem invisens, lustrans, contagionis vitio & ipse comprehensus, vitam pro amicis suis constantissimè profudit, anno MDLXXVI. Quo demum mortis genere sublatum memorat F. *Marium Bonaccoltum* Temporalem Coadjutorem Compluti in Hispania. En illius verba cap. IX. *Mortem, quæ parum à martyrio abfuit, Compluti nactus est, dum pestilentiâ correptis in Colle-*

Janitorem agit.

Ignatius Paternionius Soc. Jesu.

Erasmus Marchesiana Soc. Jesu.

Marius Bonaccoltus.

Collegio nostro Complutensi inclytam navat operam, & ipse tabe afflatus, & extinctus.

VIII. *Seraphina Portia* in S. Mariæ Magdalenæ Monasterio Alumna, charitate, humilitate, summisque aliis virtutibus illustris, quæ obitus sui diem ante sex fere menses sororibus denunciavit, eodemque, quo prędixerat, tempore spiritum cęlo transmisit anno MDXCII. De ea Grossus in Decach: Chor. 2. Hujus Consors, & socia *Apollonia Zuccarello* Catanensis, mira in diuturno perferendo morbo Phagedęnico; (Est Cancri genus cutem, carnemque subjectam continuò depascentis) patientiâ, humilitate, ac sui ipsius despectione prędita, ita ut sępissimè, & ex animo se nihil & inane fateretur, ac veluti lutum calcari exoptaret; Pęnitentiâ verò singularis, nudis enim, quo ad in claustris vixit, pedibus semper incessit, lacrymis, cordisque contritioni usque ad exitum largissimè indulsit, piè demum anno MDCIII. defuncta. De qua idem Grossus. Seraphina Portia Apollonia Zuccarello.

IX. *Andreas à Catana* Ordinis Minorum, quos Capuccinos appellamus, cujus vita non interruptus pęnitentię cursus, assiduusque de virtute in virtutem progressus à Boverio dicitur. Vili semper amictu indutus, frangendi, domandique corporis studiis perpetuò intentus, jejuniis, vigiliis, diurnis, nocturnisque flagellis, ac sæpe cruentis viriles annos exercuit, tres quippe hebdomadæ dies solo pane, & aqua contentus transfigebat, à feria quinta ad Dominicam diem semel cibos gustare solitus, perenne jejunium servabat, super nudos cubans asseres, cilicium rude corpori semper admovit. Dęmones infestos habuit, qui spectris, verberibusque, ab instituto deterrere conabantur, ac variis quandoque phantasmatibus ad Venerem incitabant; hinc ille nudus verno tempore algidis Andreas Ord. Capuccin.

aquis immersus, libidinis ignes extinguebat. Charitate in Deum præcipuus, integras penè noctes in templo orando consumebat, ac divina nonnumquam passus, sublimis in aera rapiebatur. Erga proximos nimio etiam amore flagrabat, cujus non leve specimen Messanæ dedit, ubi pestilentia laborantibus solicitè adfuit. In qua denique Urbe anno MDXCVIII. piissimè conquievit.

Ferdinandus Paternionius Soc. Jesu.

X. *Ferdinandus Paternionius* Soc. Jesu, anno MDXL. ex Thoma, & Margarita ejusdem prosapiæ Paternioniæ, Catanæ ortus, undevigesimo ætatis anno, primus ex Catanensibus patritiis Societati nomen dedit, in qua summos progressus cùm in scientiis, tum in religiosa pietate fecit. In Hispanias negotiorum caussa profectus, Regius perpetuus Concionator in Philippi Regis aula appellatus, Annæ Reginæ à sacris confessionibus fuit, quę sane munia tam piè, ac sapienter gessit, ut collatis consiliis munifici Principes illum ad sacras Infulas evehere constituerint, quo nuncio ille perculsus, Regi gratias agens, paullo post quasi per valetudines discedere cogeretur, commeatum exoravit. Januæ quatuor votorum Sacramento nuncupato, Siciliam repetiit, sed mox Romam accitus, Tiburtino Collegio præficitur, unde Siculorum procerum operâ, in Hispaniam Regni Legatus ad Philippum remigravit, ut cum eo de remittendis vectigalibus propter diuturnas annonæ difficultates ageret. Quamdiutissimè ibi commoratus, Regi rursus suam virtutem, singularemque religionem probavit, familiaremque cum Aloysio Gonsaga, qui inter Ephebos Didaco Regio Infanti aderat, consuetudinem contraxit, ejusque conscientiæ moderatorem egit. Quum verò Beatissimus hic Juvenis à Deipara Virgine in mandatis habuisset, ut de adeundę Societatis proposito cum Fer-

S.Aloysio Gonsaga à Confessionibus.

dinando communicet, hic oraculi fidem probat, utque à Patre commeatum petat, ſuadet; Gonſaga Pater Ferdinando ſuccenſet, quod conſilii authorem illum crederet, ſed ſapientiſſima oratione Ferdinandus irati principis animum pacavit, & ad mitiora conſilia traduxit. Redux ex Hiſpania Panormitanam domum regendam ſuſcipit, aliaque Provinciæ munia laudabiliter gerit; ſed calculi dolore tentatus, omnibus ſe abdicat, morboque ingraveſcente, Neapolim profectus ibi excelſa animi fortitudine veſicam ſecari, & immanem ſilicem per vulnus extrahi paſſus eſt, quo ex vulnere B. Tereſiæ beneficio, fauſtiſſima curatione convaluit. Provinciæ redditus, Lilybętani Collegii inſtitutionem inauguravit, iterumque valetudine tentatus, Rhegii Julii primo cęlum ſaluberrimum expertus, ac illius Collegii magiſtratu functus, anno MDCIII. Catanam maturavit, ubi revocatis è turpi quæſtu mulieribus Gynęceum co[illegible]didit, ejuſque perpetuitati, corrogata ex civi[illegible] liberalitate pecunia, conſuluit. Qui ſuprem[illegible] laborioſæ ejus vitæ actus, calculi enim dolo[illegible] culis denuo coagmentatis, extinctus eſt VII. Idus Februarii MDCIV. Ætatis LXIV. Illuſtre ejus facinus memorant priſci, illius Joſephi virtute, ac hiſtoria dignum; Aliquando enim, quaſi ad excipiendam honeſtæ mulieris confeſſionem de nocte accerſitus, ac remoto Socio in ſecretum conclave admiſſus, puellarum ibi chorum reperit, quæ obſeratis illico foribus inopinantem invadunt, atque ad turpia modis omnibus ſolicitant; In tam gravi periculo Ferdinandus ſe non deſerit, ac divina implorata ope, viribus rem gerit, omnes dejicit, ac diſſipat furias, evulſiſque foribus, ſe inde mira celeritate victor ſubducit. Hæc ex Aguilerio Par. I. De Ortu, & Progr: Soc. Jeſu.

Illuſtre ejus Caſtimonię argumentũ.

Ber-

Bernardus Colnago Soc. Jesu.

XI. *Bernardus Colnagus* ex Joanne Antonio Mediolanensi, & Margarita Catanensi XVII. Kal. Octobres MDXLV. ortus ingenium inter æquales summum sortitus est à natura, indolem erectam, atque verecundam. Græcis, Latinisque literis sub Scipione Porcio, varia eruditionis gloria præclaro, ac Philosophicis artibus imbutus, ut vocāti Deo responderet annos natus XIV. Patre nequicquam reluctante, religiosæ vitę tyrocinium apud Patres Societ. Jesu Messanæ collocat, strenuamque virtutibus dat operam. Sacris scientiis addictus, ac Sacerdotio initiatus Messanæ primùm, Romæ subinde Philosophiam professus est; Messanam rursus evocatus Theologicam facultatem biennio, mox in Neapolitano Collegio eamdem incredibili semper auditorum frequentia edocuit. Sacris interim confessionibus excipiendis sedulo incumbens ad infima quęque sese obsequio demittere, junioribus ministrare, stabulum lubens sordibus purga[illegible] quamvis prematurè ad Professorum ordinem [illegible]tus, sollemne habuit.

Illustre ejus Humilitatis exemplū.

[illegible] [ad]mirabile porro facinus sublimiori ejusdem sanctitati initia dedit. Quum enim propter eximiam ingenii laudem, & scientię, ac probitatis commendationem optimè esset Neapoli cognitus, negligendi, frangendique sui studio, perperam indutus, amenti similis, & solus, venia tamen ab Collegii Rectore impetrata, domo exit, civitatem lustrat, ludibriis, atque irrisionibus infimę plebis se exponit. Ut autem amicis, ac discipulis agnitus, pueros, ne in eum insultare pergant, prohibentibus, acutissimos sensit pudoris aculeos, perstitit nihilominus in eo ludrico, ac mimo admirabili constantia, donec ab illis, qui largo fletu casum ejus miserebantur, quasi per vim detineri, ac in proximam Professorum domum abripi passus

ſus eſt, ubi pauliſper recreatus, poſitis amentiæ inſignibus, in Collegium, adulta jam nocte, ſumma oris hilaritate ſe recipit; ab aliquot è ſuis magnis objurgationibus, ab Alphonſo tamen Salmerone, & Collegii Rectore ęquis ęſtimatoribus, quaſi ex triumpho redux exceptus, qui eum caſum magnarum fore rerum initium ſunt ominati; neque auſpicium eventu caruit; ex eo namque tempore divino veluti igne conflatus jam non is erat, qui fuerat, ſed à ſe ipſo quam longiſſimè alius, vitam inſtituit nedum elegantem, atque emendatam, ſed prope ſupernam, atque divinam.

A Deipara, quæ præſens Bernardo aſtat, eumque alloquitur, ut ad animarum ſalutem ſe convertat, admonitus, ſacræ eloquentiæ munus aggreditur, in quo plurimum valet; peragratiſque pręcipuis Italiæ urbibus, maximo ſemper audientium concurſu, ac emendatæ multitudinis emolumento Conciones habet, ſignis quandoque, & oſtentis miram ejus in declamando vim confirmantibus. Anno hinc MDLXXXVII. Catanam remiſſus, ut patrii cęli beneficio corpus extrema macie confectum, aſſiduiſque laboribus defatigatum reficeret, Panormum mox evocatus, ut majoris jejunii feriis verba ad populum faceret, viribus licèt extenuatus conciones aggreditur, & convaleſcit; Alicubi, ne multitudine obrueretur, cum ſtipatoribus ad dicendum prodit; ſæpius ne auditus quidem, ſed eminus viſus cęleſtes aculeos injicit, admirabili quadam luce fulgere obſervatus, corpuſque ſoli obverſum non umbram poſt ſe, ſed jubar ſole clarius rejicere, quod motum, geſtumque ejus penè imitaretur. Quum porro in animarum lucris procurandis nimius videretur, ſummas in Provincia ſuſtinuit Colnagus domeſticas inſectationes; hinc apud fidei Quæſitores accerſitus, ſapienter ſe expurgat;

Dei verbum cum fructu diſſeminat.

purgat; à Provinciæ moderatore severissimè habitus, ex ea amovetur, Romamque contendere jussus, ibi præclarum librorum censoris munus obit, diuque occultus consedit. Subinde ad conciones in Lateranensi Basilica habendas adlectus, insuetatis confluentium plausibus excipitur, ac non levibus Christianæ disciplinæ incrementis auditur.

Romæ caussâ de Patria S. Agathæ defendit.

In Urbe diu moratus, Caussam de Patria S. Agathæ strenuè propugnavit, ac patriam egregiè sibi demeruit.

Biennio ante mortem, sexagenario major, Palæstinæ peregrinationem efflagitat, ac post diuturnas preces impetrat. Ut Januam porro venit, & navigandi occasionem præstolatur, Pauli V. Rom. Pont: jussu revocatur, quod in animum haberet summus Antistes, tantum virum penes se retinere, & Purpuratis Patribus accensere; Sed Bernardi lacrymis, & obtestationibus ea spe dejectus, facile passus est, ut in Siciliam à suis evocatus Roma abesset. Catanæ ingenti procerum, ac populi frequentia exceptus, supremas ibi in jejunio majori conciones habet, atque ad novissimam octavo ante die, populum invitat. Summam interim superioris vitæ expiationem aggreditur, condictoque die ad aram prodit, & sacrificium, quod æternitatis viaticum futurum erat, longius, quam consuesset, protrahit. Ex ara ad sugestum procedens, quum proœmium clauderet, in ipso dicendi conatu vox intercipitur, languore correptus, animo linquitur, in genua defluit, pronusque in faciem decidit. In cubiculum per manus delatus, ibi restitutus, concionem de Boni Pastoris conditionibus ducit, & absolvit, ac paulo post apoplexia comprehensus, ad fatalem usque horam siluit.

Ejus præclara mors.

Extremi olei religionem nutibus poscit, vocisque dumtaxat expers, cæterum sui compos, dies fermè

mè quinque in eodem statu corporis immobilis, sed divina, sine cibo, & potu, patiens permansit. Morienti Deipara, B. Agatha, Antonius Patavinus, Franciscus Paulanus, Catharina Senensis, quibus fuerat addictissimus, ac cęlitum plerique adfuere, dieque hebdomadis VI, ut ipse multo ante prædixerat, Christi cruciatibus sacra, hora VI; XI. Kal: Maji anno MDCXI. ætatis LXVI. ad illa verba: *S. Agatha ora pro eo*, vultu ad lætitiam commutato, subridens, caputque acclinans extinctus est. Funus celebri pompa supra modum, Senatus decreto, curatum est, ac per triduum corpore inhumato, ut confluenti multitudini fieret satis, prolatum. De sacris ejus honoribus egit postea Senatus noster cum Paulo V. Rom. Pont: & ab Urbano VIII. impetravit, ut Siculi Antistites de gestis ejus Acta conflarent, quod naviter impletum. Prodigia, quæ funus ejus, vel ad ipsam sandapilam consecuta sunt, vix ingens volumen complecteretur. Cubiculum, ubi animam efflavit in sacellum domesticum commutatum, quod quum ex terræmotu corruisset, reparatur, ubi hodie Sodalitas Secreta. Scripsit Bernardi vitam miris virtutibus, divinis illustrationibus, ac miraculis plenam Laurentius Finoclarus, & novissimè stylo elegantissimo Emmanuel Aquilera (*a*) ejusdem Societatis, ex quibus pauca hæc delibavimus, illas consulas. Ejusdem meminere Pirrus, Grossus, Mongitorius, aliique; nonnulla & nos inferius quoque dabimus, ubi de Scriptoribus.

(*a*) Tom. I. Ist. Soc. Jes. Sic.

XII. *Aloysia Vigintimillia* clarissimis parentibus N. Passaneti Dynasta, & Maria Vigintimilliis anno MDLX. Catanæ sata, corporis, & animæ pulchritudine ab ipsa infantia emicuit. Septennis Vincentio Macrì nobili æquè, ac diviti promissa, mox ut adolevit viro conjuncta, sanctis moribus,

Aloysia Vigintimillia.

ac

ac virtutibus etiam crevit, Matronisque, licet juvenis, exemplo fuit. Marito post annos octo defuncto, secundas inire nuptias à suis coacta, Hectori Joenio nupsit anno MDLXXXIII., cum quo filiam Franciscam, & Georgium filium procreavit. Ad Deiparæ Virginis prodigiis claræ templum in Monasterio albo, proximo Catanæ opidulo, situm aliquando progressa, quum diu ante illius signum orasset, ubi domum rediit, perfectioris vitæ rationem obire cœpit, ac Marito annuente, quem ad thori separationem induxisse traditur, S. Francisci Paulani instituta profiteri statuit; veste hinc lanea deinceps, & vulgari, cibisque quadragesimalibus utens, mundum muliebrem in Ecclesiastica ornamenta erogavit, suoque exemplo nedum eumdem conjugem, sed Matrem, aliasque nobiles fœminas ad id vitæ institutum quoque pertraxit. Festo Nativitatis Domini die ad convivium invitata, ut Marito præcipienti morem gereret, carnes gustavit, sed huic divinæ ultionis pœnam prædixit, quam mox ille subiit, reatumque agnoscenti sanitatem à Deo impetravit. Hoc etiam subinde amisso, anno ætatis XXXV, majori animi contentione ad summum sanctitatis apicem properans, tenerrimum corpusculum jejuniis, flagellis, ciliciis, durissimè habuit, solita super asseres somnum parcissimè capere, ac majorem anni partem solo pane, & aqua, paucisque oleribus, aut legumine additis transigere. In pauperes munifica, nullum à se abire permisit, quin aut stipite, aut cibo recrearet. Erga Deum ferventissima, quidquid à domesticis curis illi supererat temporis, rebus divinis dabat, aut lectioni nempe, aut contemplationi, cui ad horas die, noctuque incumbebat, hinc rerum humanarum solicitudinem omnem ita abjecisse videbatur, ut unicum sibi Deum velut initium, ac finem

S. Frācifci de Paula fit Tertiaria.

Ejus virtutes.

finem cogitationum suarum, & consiliorum proposuerit, unum Deum esse, cui placeret, ac voluntati serviret, reliqua periisse sibi, quo ad vixit, persuasum habuerit. Hinc factum, ut ab omnibus veluti perfectionis Christianæ speculum haberetur, ac *Sanctæ* nomine vulgo cujusque cętus homines illam prędicarent; nec immerito, Matrem namque se omnibus pauperibus, destitutis, pupillis, viduis, afflictisque perfugium exhibuit. Lethali denique infirmitate correpta, quum omnia Ecclesiæ sacramenta ritè percepisset, sacra inter colloquia hilaris mortem aspexit anno ætatis LIX. Domini verò MDCXIX. Quartodecimo Kal. Novembris in Cęnobio S. Francisci de Paula, ubi nobilissimæ gentis Joeniæ adhuc hodie sepulchrum. De ea Pirrus Not. Eccles. Catan. Lanovius in Annal. Ordin. Minim. ad Ann. 1618. & in Appendice 2. & 4. & tandem in Diario ad diem 19. Octobris, ubi Aloysiam miraculis etiam claram deprædicat, & Grossus Chorda IX. *Benedicta* N. ejusdem Ordinis S. Francisci de Paula *Tertiaria*, ut dicunt, Catanensis, animi, corporisque innocentiâ, & puritate insignis, magnisque virtutibus conspicua; Cujus corpus incorruptum diu perseverasse testatur idem Lanovius ad Ann. 1612. num. 15. & alibi in Appendice, & Diario ad diem 12. Januarii, quo illam pie obiisse scribit. Memoratur etiam Grosso Chor. IX.

Mors pretiosa

Benedicta N. ejusdē Ordinis.

XIII. *Francisca Cantarella* Carmelitarum Instituti strictioris observantiæ, sive ut vulgo dicitur, de Monte Sancto Tertiaria, quam Christus Dominus in sponsam sibi delectam annulo suo, ut referunt, subarravit; Cęlestium spirituum, Beatæ Virginis Deiparæ, ac S. Agathæ, aliorumque divorum apparitione sæpius dignata, heroicis virtutibus, moribusque incorruptis conspicua. Fuit

Francisca Cantarella Carm. Ord.

ejusdem conscientiæ moderator egregius vir Desiderius la Placa Catanensis, ejusdem Instituti Catanæ, & alibi promotor, & author, quo Magistro miros in Christiana perfectione progressus fecit. Petrus Carrera (a) illam in S. Philippi vico ortam dicit, atque anuli à Cœlesti sponso dono accepti meminit. Hunc, quoad vixit, nulli mortalium observatum Francisca gessit; verum paullo antequam ex hoc mortali corpore excederet, tribus, qui aderant, insigni spectaculo, in ejusdem sanctitatis, & innocentiæ testimonium, visibilis apparuit. Mortis suæ præscia, die Dominico amicis, ac sodalibus valedicens, quarta feria sese ad Deum vocatam iri, & si viribus integris, florentique ætate gauderet, edixit, idque rei exitus probavit; mox enim brevi morbo consumpta anno MDCXII. sanctam obivit mortem. De eo Grossus in Decach. Chor. IX.

(a) Mem. Hist. tom. 2. l. 2.

Seraphinus Columbus Eremita.

XIV. *Seraphinus Columbus* S. Hieronymi Eremita, frangendi, domandique sui corporis studio insignis, ardentissimæ in Christi pauperes charitatis, nihil unquam illis denegare solitus; nam fœmoralia aliquando, quibus tegebatur, pauperi, ac nudo ab eo petenti, quum nil, quod elargiretur, haberet, donavit. Stygiis furiis, quas diu multumque molestas habuit, terribilis; ab illis enim dum instanter, ac prolixè orationi incumberet, quod exercitium illi familiare diu, noctuque fuit, variè exagitatus, ut lustrali aqua faciem abluit, eas in fugam egit. Prophetiæ dono illustris, die Sabbato, uti prænunciaverat, Dei Genitrici, quam summa religione prosequebatur, sacro, Julio mense, anno MDCXVII. humanis rebus exemptus, miris post mortem prodigiis à Deo illustrari meruit. De eo Grossus in Decach: Chor. 9. m. f. qui *Hieronymum Scarfillitum*, *Sigismundum à Valle*, *Hieronymum Ingnantem*, *Fridericum*, & *Paulum Sigonam*, de

Alii Eremitæ.

quo

quo supra, germanos fratres ejusdem Eremi incolas memorat, majorumque gloria illustres, proprio virtutum decore insignes, sanctis denique morum exemplis clariores Chor. 2. mod. 14. deprędicat.

XV. *Clara Cajetana*, Elisabeth, sive, ut alii scribunt, Angela in sacro Baptismate appellata, generosissimis parentibus Antonino Cajetano, & Francisca Paternionia Catanæ progenita, pietatem cum lacte imbibit, adultior orationi, jejuniis, piisque operibus incumbens, atque à mundi vanitatibus abhorrens, inter sacras Deo Virgines adscribi ardentissimè exoptavit, suis nihilominus majoribus obtemperare coacta, nobili Leontino in matrimonium locata, vitæ propositum aliquando retinuit, passim verò sæculi negotiis implicita, uni mundano sponso placere studens, ex quo filiam suscepit, Dei sui obliviscitur; sed revocata religiosis studiis denuo animum adjecit, ac prioribus vitæ cęlestis exercitationibus sese adjunxit, hinc viro defuncto, Seraphici Patris habitum induit, aliisque ejusdem Ordinis alumnis (Tertiarias vocant) adjuncta, arctiorem vitam instituit, & Clara vocari voluit. Cavens porro, ne à fratribus denuo ad nuptias compelleretur, patriam, dilectamque filiam, opes, ac mundum relinquere, cumque electis sociis duabus clam profugere decrevit. Pedes igitur, & incognita ad Leocatæ oppidum, longo emenso itinere perveniens, extra pomerium angustissimam sibi domum delegit, ubi deinceps labore manuum vitam substentans, orationibus, sanctisque operibus intenta ad septennium perduravit, ac secura latuit. Mortuis sodalibus, piæ cujusdam Leocatensis fæminæ servitio sese addixit; mox sociam æqualis propositi, atque instituti, nomine Elisabetham nacta, rursus extra Urbem in humili casa vitæ solitariæ studia sectatur, atque in Christianæ perfe-

Clara Cajetana Ord. Sancti Francisci.

E patria egreditur

Leocatę consedit.

ctionis

ctionis palestra biennio sese exercet. Quum autem fama sanctitatis ejus exciti, undique ad locum populi convenirent, gloriæ impatiens, clam se subduxit, ac Panormum cum socia, nemini agnita, contendit, ubi non longè à mœnibus in angustissima cella piorum eleemosynis constructa, aliquandiu degens, concurrentis etiam multitudinis tędio affecta, prope Cœnobium S. Mariæ à Jesu longius ab urbe habitavit, ibique honestæ, ac piæ mulieris Innocentiæ Lazaræ suppetiis adjuta ad mortem usque perseveravit; quam feria VI. pridie Kal. Julii anno MDCXVII. inter illa verba: *Maria Mater Gratiæ* &c. sanctissimè obivit. Commendant vitæ Scriptores in nostra Clara præcipuam humilitatem: vilia enim atque abjectissima quæque munia obire gestiit, à sodali sua, sicut inter ipsas convenerat, contemni, verbis, & contumeliis affici, pedibus conculcari, funeque ad collum ligato per domum raptari per diem voluit; quin à quibusdam improbis gravissimis injuriis lacessita ad patientiæ miraculum, alacris omnia sustinuit. A nobilium matronarum colloquiis, ac Parentum, quibus tandem innotuit, consortio abstinuit, datasque ad se Filiæ epistolas, ne quidem oculis dignata, mox ut recepit, igni tradidit, nec, ut in patriam rediret, suarum, ac filiæ enixis precibus solicitata, potuit unquam adduci. Pœnitentia quoque insignis fuit; super duros enim asseres paucissimas horas quieti dabat, ferrea catena librarum septem pondo super nudam carnem præcincta, aut nodosa zona ferrea incedebat, lanea, & hispida veste utens, solo pane, & aqua vitam traducebat, nec nisi rarissime herbarum obsonium adhibens, sola pelle, & ossibus constare videbatur. Oratione, & contemplatione nimium delectabatur, nec sine lachrymis de Christi Domini passione loqui

Panormū proficiscitur ubi pientissimè obdormiit.

Ejus virtutes.

loqui, aut cogitare poterat; eximia demum in pauperes, ægrotosque eminuit charitate, in quorum levandis miseriis tota fuit. De ea Petrus à Panormo Ord. Min. Reform. in Sicil: Chron: par. 2; Antonius à Venetiis in Legend: SS. Ord: Tognoletus, aliique, & Grossus in Decach: Parad.Seraph. To.1.l.2.

XVI. *Joannes Baptista à Catana*, Sacerdos Capucinus, illustre sibi nomen apud omnes comparavit eximia in Deum charitate, ut nihil omnino ex ejus ore, nisi divinum excideret, atque efficaci in dicendo vi, mira suavitate conjuncta, ut avidissimè, dum verba faceret, ab universis, cujusque essent ordinis, aut conditionis, ac cum ingenti lucro, & religionis incremento audiretur. Ligneum Christi Domini è cruce pendentis signum in cella habebat, quod secum, quocumque pergeret, deferens, ut divinæ passionis typum præ oculis semper haberet, majoresque in dies illius ignis flammas excitaret, qui cordis ejus intima depascebat; hinc antequam sacrum offerret, coram eo prostratus ad plures horas orationes protrahebat, flagrisque sese cruentabat. Corpore satiscente, nusquam ejus zeli ardor intepuit, nam in decrepita etiam ætate, ut olim, quando vires integræ ei constabant, dirissimè se tractabat. Octogenarius denique in Paternionensi Cœnobio nudis scapulis, flagellum manu tenens in cella exanimis repertus est. Cujus effigies papyro ex ære excepta inter alias illustrium Ordinis Virorum cum epigraphe, quæ vitæ gesta per compendium exponit, circumfertur. Illum laudat Marcellinus de Pisa Annal. Capuc. Tom. 3. ad annum MDCXXI, quo piissimè decessit. Joannes Baptista Capuc.

XVII. *Franciscus Pappalardus* ex Minimis S. Francisci Paulani, quem Pirrus *Josephum* perperam vocat, morum integritate, sui ipsius despi- Frāciscus Pappalardus Paulensis.

tientiâ, charitate, cęterisque virtutibus clarus, qui orationis studio perpetuè intentus, noctes penè integras in templo transigebat, ac meritis quamplurimis dives in æde S. Mariæ Tyndaritanæ prope Poctas, quum Panormo Messanam enavigaret, anno MDCXXIII. mortales sarcinas deposuit. Servi sui eximiam perfectionem, ac collatum gloriæ pręmium plurimis Deus declaravit; nam morientem lux quædam insolita supra illius sacrę domus tectum noctu coruscans, mirabiliter nautis, sociisque designavit, illuc enim accurrentes Franciscum flexis genibus orantis instar, exanimatum non sine stupore observant, Deique servum, quem viventem nescierant, mortuum venerari cęperunt. Consule Grossum in Decach.

Carolus Romanus Soc. Jesu.

XVIII. *Carolus Romanus* Societatis Jesu, gloriosa prosapia Catanæ natus, Antonio patre, Anna Aversa, & Tornamira matre, quæ Cataneñse Collegium suarum fortunarum hæredem testamento nuncupavit. Caroli infantia singularis, nunquam enim aut vagitum, aut ploratum edidisse fertur, sed ab incunabulis miram oris exeruisse jucunditatem, quam in omni vita invariatam retinuit. Pueritiam pietate, ac bonis artibus excultam ubi traduxisset, duodevigesimo ætatis anno Messanæ prima Societatis stipendia fecit, in qua virtutum officina divinæ charitatis abundantiam hausit. Tyrocinio, & Rhetoricæ studiis exactis, post Grammaticas institutiones magno discipulorum fructu traditas, severioribus disciplinis Panormi imbuitur, ubi pietatis suæ eximium specimen dedit; Marianæ Adolescentium sodalitati summo eorumdem incremento subinde præfuit; mox Societatis candidatos incredibili etiam lucro excolendos suscepit, Sacerdotio interim initiatus Messanam contendit, ibique ex assiduis, magnisque laboribus

boribus in cultura animarum gravissimam contraxit valetudinem, ex qua Deiparæ suæ beneficio incolumis evasit. Tum ad Panormitanum Tyrocinium administrandum septimo ætatis lustro nondum expleto evocatus, magistratum ita gessit, ut parem habuerit neminem, in quo, & biennium collocavit; quum enim, ut se eo abdicaret, à Societatis supremo Præfecto non obtinuisset, ab amantissima Matre impetravit; in surditatem quippe protinus incidit, qua tamdiu affectus est, quoad onus deponeret. Lauretanam peregrinationem aggressus, ex ea in Provinciam redux, Panormi se totum juvandis proximis dedit, nisi quod interdum in expeditionem exibat, & Insulam concionando lustrabat. Adeo porro salutares excursiones illæ fuerunt, ut accedenti obviam prodirent oppida, & civitates, & tamquam hominem à Deo lapsum exciperent, audirentque. Colesani demum, ut strenuus Christi miles in acie extinctus est, dum enim ibi sacram expeditionem Quintili mense aggreditur, lethifera febre percussus XVII. Kal. Septembres suavissimè conquievit annos natus quatuor, & quadraginta; Cujus corpus Calatanixettam lectica importatum, summisque honoribus elatum in templo Societatis conditur, addito hujusmodi elogio: *P. Carolus Romanus è Societate Jesu, profundissimæ humilitatis, ardentissimæ charitatis, qua totum mundum complectebatur, Angelicæ puritatis, & perfectæ unionis cum Deo, rerum creatarum contemptor, omni virtutum genere ornatissimus, obiit XVII. Kal. Septembris Anno Domini 1624.*

Fit Tyronum Magister.

Colesani moritur.

Fuit præcipuè Romano in amoribus Deipara, cujus aliquando præsentia, & alloquio dignatus, tanta in eam religione ferebatur, ut nedum familiares sermones ad illius obsequium ingenua dexte-

Deiparæ visione dignatus.

dexteritate traduceret, sed in publicis, privatisque concionibus numquam sine laudum ejus mentione peroraret, hinc divinæ Matris Concionator vulgariter est appellatus. Laureti dum esset, eamdem inusitata specie meruit videre, & una sponsum ejus Josephum, medium verò puerulum Jesum. Nocturnis divinarum rerum contemplationibus jam ab adolescentia assueverat, ut eas interdum somni immemor de genu ad lucem duceret. Minimi fuit cibi, quod si forte concurrerent, qui culpis exponendis secretum postularent, inediæ immemor diem, noctemque jejunios perstabat. Attulit ad corporis imbecillitatem, & perpetuò affectam valetudinem, jejunia, vigilias, cilicia, & quotidianam cruentorum flagrorum consuetudinem; sed qui sibi austerus, & immitis, aliis humanissimum se præbuit præsertim in magistratu. Iratum nemo vidit unquam; indumenta corpori non admovit nisi vetustate detrita, ac resarta; Inopes pro viribus juvit, neminem tristem, aut vacuum ab se dimisit. Occulta, ac futura prænovit, quæ secum animo agitabant, perspexit, mira demum alia patravit, quæ Tornamira cognatus ejus, & novissimè Emmanuel Aguilera, ex quo hæc nostra deprompta, literis consignarunt.

Ejus virtutes.

Desiderius la Placa Carmel. Inst.

XIX. *Desiderius la Placha*, Ordinis Carmelitarum, Catanæ honesto loco ortus, profundæ eruditionis, prudentiæ, ac dexteritatis eximiæ, sed religionis cum primis, ac morum innocentiæ præcipuæ. Bis in patria Academia sacræ Scientię publicus professor, septies S. Alberti Provinciæ Præfectus, Vincentii Cultelli Catanensis Episcopi in universa Diœcesi vices functus, arctioris vitæ desiderio, Alphio Licandro ejusdem instituti Magistro socio sibi adscito primęvum Ordinis candorem ad præscriptum Innocentii IV. Rom. Pont.

in

In S. Mariæ sub titulo Directionis Templo revocare cupiens, arduum opus summa felicitate, nec minori ordinis sui gloria absolvit anno MDCXVI. Hinc à Gregorio XV. ad idem Institutum propagandum Generalis *Commissarius*, ut ajunt, datis Romæ literis mense Februario MDCXXI. adlectus, nedum Catanę, sed in Acis oppido etiam illud constituit. Ob doctrinæ opinionem, ac vitę integritatem Viris principibus apprime charus, à Philippo IV. tanta nominis fama permoto Episcopus Agrigentinus designatur; ante inaugurationem sanctam obivit mortem, III. Nonas Augusti MDCXXIV, & in eodem Catanæ Cęnobio terræ mandatur. De eo Pirrus, & Grossus cum laude scribunt. Congregationis de Monte S. author

XX. *Michael Florius* Catanensis inter Societatis Jesu Adjutores adscriptus, ad quam prodigio vocatus, nil tam studuit, quam sibi bellum indicere, ac strenuè gerere; numquam enim nisi ægritudine cogeretur, jacens somnum sumpsit, sed sedens, & imbutus; cruento se flagello singulis noctibus verberavit, neque utramque torquendi sui consuetudinem octogenarius dimisit. Rusticis curandis prædiis admotus, vitam ruri egit silvestrem, sed Deo conjunctam, & innocentem. Ex viridario, quod in suburbana Syracusana exquisitissimis plantis diuturno labore consevit, lectum pomum gustavit numquam. Nullas novit literas, ex assidua tamen cęlestium rerum contemplatione intima quadam scientia eruditus, de christianis virtutibus tam disertè loquebatur, ut plurima se ex ejus ore, quam ex codicibus didicisse viri docti faterentur. Religiosę paupertatis amantissimus, quidquid deterrimum domi esset, sibi reservatum, ac debitum existimabat, pudicitiam in rebus charissimis habuit. Eucharistiam tanta religione sumere consuevit, ut qui divinam ei dapem mini- Michael Florius Soc. Jesu Ejus virtutes.

ftraret cęleftis hominis faciem fibi intueri videretur. Supremę valetudinis vim ftans, & ad confueta officia difcurrens, admirabili fuftinuit fortitudine, nec nifi morti proximus lecto fe dedit, eodemque, quo deceffit die, cruento fe flagro cecidit anno ætatis LXXXII. Nonis Novembris. Et ipfa hora, qua animam efflavit, Syracufanum Collegium luce circumfufum apparuit, quo oftento Florium ad fuperos evolaffe civibus eft declaratum. Elatus eft magno civitatis concurfu, & acclamatione Sanctitatis, & quę circa ipfum effent, religiofa quadam cupiditate diftracta, quibus admotis ægri complures ftatim faluti redditi feruntur. Ex Aguilera de Ortu, & Rebus Geftis Siculę Provinc: Societ: ad annum MDCXXI. Meminit idem Author *Jacobi Amati*, Adjutoris etiam Panormi anno MDCXXIV, dum pefte afflatis miniftraret, gloriofo fine fublati, & *Joannis Baptiftæ Amati*, Adjutoris itidem, apud Thermas Selinuntias eodem mortis genere anno MDCXXVI. defuncti.

Jacobus Amatus, & Joan: Bapt. Soc. Jefu.

Vincentius Raymundus Soc. Jefu.

XXI. *Vincentius Raymundus* Societ. Jefu, cui fe quadragenario major addixit. *Catanæ ortus anno MDLXIX. in ea difciplinarum arce*, Aguileræ verba ufurpamus, *fummum, & altum ingenium literis, & artibus omnibus, humanis, æquè ac Divinis optimè excoluit, & ita Civitati probavit, ut Adolefcens in florentiffima Academia facri juris prudentiam tradiderit, tanto Auditorum concurfu, atque proventu, quantum ejus ætatis memoria neque majorem, neque parem laudaviffet. Sed fingularem doctrinæ excellentiam, & commendavit, & fuperavit morum elegantia, & integritas non vulgaris.* Sacerdotio auctus totum fe ad pietatis opera contulit; eximia ejus fuit erga inopes mifericordia, cruciandi corporis ftudium fingulare, affidua, ac intima cum Deo conjunctio. In Canonicum cooptatus,

optatus, moxque Cantoris dignitatem assequutus, Secusii Catanensis Episcopi summus Vicarius adligitur, nec ideo Doctoris in Lyceo munus dimisit. Honorum pertęsus secessum cogitavit, & annos xlii. natus Societatem ingressus, mox ut privatum Sacramentum dixit in Collegio Mamertino Sacrorum doctrinæ interpres designatur, quod sane munus summa sanctitatis, & eruditionis opinione gessit, adeout ejus sententiæ tamquam ex oraculo missæ acciperentur. Carolo Mastrillo Archiepiscopo acceptissimus in primis evasit, hinc nihil erat, quod non ex nutu Vincentii ille administraret, neque ad Dięcesim lustrandam exire unquam voluit, quin eum comitem haberet. Quum è suggestu ibidem peroraret, tanta frequentiâ cives confluebant, ut eos vix Templum caperet. Anno ætatis primo & quinquagesimo, ab religionis ingressu nono, publica emisit vota; subinde Messanensis domus administrationem suscepit, quam summa temperantia, & ingenuitate gessit, ac ut primum ita novissimum magistratus diem ęquè laudatus, æquè dilectus transegit; Expletoque triennio, quum per annum vacasset, eam rursus provinciam capessere jussus, non absimilibus justitiæ, prudentiæ, & charitatis exemplis illustravit. Gravissimis insectationibus subinde afficitur, in quibus perferendis admirabilis ejus mansuetudo, & temperantia eluxit; Hinc Catanensis Collegii Rector designatus, summisque honoribus, & gratulationibus in patria exceptus, mense magistratus quinto vix elapso, pridie Nonas Septembris, diuturno morbo anno MDCXXXVII. consumptus est. Vincentii funus splendissimè curatum ęre Francisci Amici, Catanensis Pontificis Summi Vicarii, coram Senatu, Patriciis, Academiæ Doctoribus, atque utriusque Cleri primoribus. *Sed nihil*, concludit

Societatē ingreditur.

Catanense Collegium rexit.

cludit Aguilerius, *tam funebres honores illustravit, quam communis ejus commemoratio virtutum, & repentina omnium ordinum acclamatio Sanctitatis*. Raymundo *Vincentium* alterum *Marottam* Catanensem adjicimus anno MDCXLIV. Panormi elatum, de quo idem Aguilera tradit, quod pro lintea fubucula cilicium nudo, & infirmo corpori semper admovit, merique asseres cubantem exceperunt; Modici fuit cibi, atque vulgaris, silendi studiosissimus, atque latendi; dies, noctesque cum Deo transigebat, cujus commemoratione tantopere afficiebatur, ut in rerum divinarum collocutione facile sensibus eriperetur, ac cœlesti voluptate colliquesceret. Defunctorum animas identidem per speciem vidit, ac Sororis pretiosam mortem absens cognovit. Funus ejus Panormi magno ordinum concursu est celebratum Idibus Martiis MDCXLV.

Vincentius Marotta.

Alphonsus Marchesana Soc. Jesu.

XXII. *Alphonsus Marchesana* Societatis Jesu & ipse alumnus, cujus intimam cum Deo conjunctionem celebrant vitæ Scriptores, studiis enim laudabiliter exactis, totum se divino obsequio addixit, & uni Deo placendi curam intimè coluit; Ejus erga sacram Eucharistiam, ac Dei Matrem singularis fuit religio, ubi enim ad secundam vigiliam humi stratus quieti dedisset, reliquum noctis spatium in cœlestium rerum contemplationibus, ac divinis laudibus de genu consumpsit; nisi forte ad morientes evocaretur, quo in munere triduum non semel impransus, incœnatus, insomnis perseveravit; In jejuniorum consuetudine austerus, in expurgandis animi labeculis assiduus ter, ac quater in die ad eas excipiendas accessit. Octavo ante mortem die per quietem stare ante Christum Judicem sibi visus, gravissimisque à stygiis hostibus accusationibus pressus, quum nihil, quo se purgaret, proferre posset, ad divinam misericor-

ſericordiam provocavit. Ex veluti certiſſimo mortis nuncio admoneri ſe intelligens, maculas omnes ſumma accuratione expiavit. Conſecuta eſt mentis, animique ſerenitas, lętus proinde, ac ſpei plenus triduo extinctus eſt Meſſanæ Kal: Julii MDCXLVI. ætatis XLVII. Sequenti anno *Didacus Paternionius* Panormi in ipſo juventutis flore etiam ſublatus, cujus vitæ innocentia, morumque probitas illuſtri elogio ab Aguilera commendatur. Bimeſtris adhuc Deiparam colere viſus eſt, nam ejus audito nomine exultabat. In cunis deſperata ſalute, & ſupremos jam anhelitus trahentem ſui ab eadem B. Virgine receperunt. Decennis quum ab Aloyſio Lanuza ſacro epulo reficeretur, capeſſendæ religionis, ac præmaturæ mortis præſagium accepit, vidit enim ille candidam adeſſe columbam, quæ circa pueri caput volitaret, & alis plauderet. Societati nomen dedit, ac Meſſanæ tyrocinium nactus eſt, ubi mira rerum omnium abdicatione Deo ſe totum devovit, motuſque animi fregit, atque delevit; hinc à contubernali pugnis graviter appetitus, patientiſſimè injuriam diſſimulavit. Panormum ad politiores literas addiſcendas accerſitus, incredibilem de ſe ſpem excitavit; ſed nono fere menſe, quum acrioribus divinæ charitatis aculeis urgeri cępiſſet, non longè abeſſe fatalem horam intelligens, animi maculis exactiſſimè expiatis, Nonis ſextilibus, acuta febre correptus, tam ſuavi divini amoris incendio flagrare viſus eſt, ut non morbo, ſed cęleſtis patriæ deſiderio potius extinctus crederetur. Mortalis eſſe deſiit annos natus duodeviginti, XII. Kal. Septembris. Conſule Aguileriuin, qui ſubinde ad ann. MDCLXIX. *Joſephum Marcheſanum* à virtute etiam commendat, in patria piiſſimè defunctum.

Didacus Paternionius Soc. Jeſu.

Tom. 2. Hiſt. de Ortu, &c. Soc. Jeſ.

Remigia Scámacca Ord. S. Dominici.

XXIII. *Remigia Scammacca, & Tornanbene*, Catanæ, Kal: Octob: MDCIV. ex Francisco Tornanbenio, & Constantia Asmunda, nobilissimis progenita, ubi adolevit, Bernardo Scammaccæ nupsit, ac virili prole unica, fęminis quatuor thalamum illi fęcundavit. E sæculi pompis aliquando revocata, divinis rebus se totam ex animo devovit, ac Virginis Deiparæ jussu, tertii Ordinis S. Dominici habitum, marito annuente, induit, quo defuncto, vitam longè emendatiorem instituens, corpusculum durissimè habuit; pane enim, quem ostiatim emendicabat, vesci solita, ac super durissimos recumbens asseres, ciliciis, flagellis, cruentisque flagris sæpissimè adhibitis, nec non à stygiis furiis variè insuper exagitata, in castris Christianæ perfectionis insigniter meruit. In cęlestium rerum contemplatione plures horas quotidie collocabat; hinc divina frequentissimè patiebatur, ac micanti vultu è solo non semel in sublime elata, compluribus se obtulit. Erga Divinum Panem, Christi Dom: passionem, ac piissimam Matrem, magna religione affecta, Divorum apparitionibus, ejusdemque Deiparæ alloquio dignabatur, à qua, & vitæ normam, & nonnulla hominibus impervia, immo futura didicit, Puerumque Jesum, insigni favore in ulnas accepit. Humilitati perpetuo studuit, lanea, vili, & obsoleta veste utens infimæ plebis ludibriis se exposuit, ac malignorum obtrectationes constanti animo toleravit. Diutino morbo, immatura filii amissione, innumerisque ærumnis, ac animæ desolationibus probata, invictę patientiæ specimen sese exhibuit. Obediendi, obsequendique promptitudo in ea penè incredibilis; Conscientiæ suæ moderatoribus adeo obstricta, ut eorum nutus veluti divinæ voluntatis significationes intueretur; hinc sæpius à malignis spiritibus,

Virtutes eximię.

aut

aut immobilis ſub diu, aut cibi, potuſque ſumendi, hęrentibus faucibus, ad plures horas incapax effecta, audita vix jubentis voce, ad priſtina redibat officia. Eximiis hiſce virtutibus non vulgarem apud omnes ſanctitatis opinionem ſibi conciliavit, qua, & animos Catanenſium præſertim Pontificum, Brancifortii, Guſſii, & Aſtallii, aliorumque, virtute, & doctrina celebrium virorum pervaſit; eamque largiſſima in pauperes munificentia, ſummoque in animarum ſalute procuranda zelo, cumulavit. Ad Matronas enim in meliorem frugem revocandas, Sodalitatem inſtituit, cui ipſa aliquandiu maximo cum incremento præfuit; innumeras è vitiorum cęno vulgares mulieres ad pęnitentiam traduxit, domumque, ubi malè nuptæ, & hujuſmodi perditæ famæ exciperentur, fundavit, quæ *Converſarum* hodie appellatur; pecuniaſque ad ædificia, cenſus, ſupellectilem, reſque neceſſarias ex piorum eleemoſynis corrogavit. Habuit eo in opere adjutorem Aloyſium Lanuzam, Societ. Jeſu, Sanctimonia ſatis illuſtrem, qui poſt mortem ſeſe etiam illi videndum præbuit, Deoque, ac Virgini gratiſſimos ejus conatus aſſeveravit. Hanc porro domum, quo ad vixit, ſummo cum fructu rexit. Sexto demum die ante Idus Octobres, anno MDCLXII, ætatis LVIII. inter ſacra colloquia placidiſſimè animam efflavit, quum ad dies XXVII. morbi acerbiſſimos dolores patienter, hilariterque toleraſſet, atque ante V. circiter menſem ab omnibus ſtygiorum lemurum infeſtationibus liberam Deus illam ſervaſſet. Elata eſt ingenti omnium ordinum frequentia, ac in templo Societ: Jeſu, uti optaverat, ſepulta. Nec defuere poſt mortem prodigia, quibus beatum illius exitum Deus comprobavit. Habes Remigiæ præclariſſima geſta ab Laurentio Finoclaro ejuſdem Societ.

Aliorum ſaluti proſpicit.

Mors pretioſa.

(a) Catan. apud Bisagnium 1680 cietat: in peculiari libro (*a*) descripta, ex quo pauca hæc excepimus.

Digna Rizzari Ordin. S. Domin. Meminit idem Finoclarus in hac ipsa Remigiæ vita *Dignæ Rizzaræ* Virginis innocentissimæ, æquè ac nobilissimæ, tertii Ordinis etiam S. Dominici. Huic morienti Deipara, S. Dominicus, B. Aloysius Gonsaga, necnon SS. Agatha, & Catharina Senensis adfuere, uti Remigia ipsa, quæ præsens adstabat, conspexit; Stygiusque hostis extremos spiritus trahenti levia nonnulla objectans, ab eadem longe depulsus est, quod nihil funestum in *Digna* inveniret. Denique, quod in divinæ Matris, aliorumque Divorum manus animam reddidisse testata est.

Ludovicus Batteato Casinens. XXIV. *Ludovicus Batteatus*, Ordinis S. Benedicti, Casinensis Congreg; Catanæ non obscuris parentibus anno MDCXXXIX. natus, ubi sextumdecimum ætatis annum attigit, in S. Nicolai de Arena sollemne Sacramentum dixit; sed sensim ab instituto declinans, quum sodalibus offensioni esset, solum mutare jussus, in Cœnobio Licodiano aliquandiu deguit, ubi solitudine bene usus, brevì perfectam Monachi vitam aggressus est, motusque animi, ac repentinos cupiditatum igniculos omnino fregit, atque extinxit, ut alius videri cœperit. Hinc ab Abbate revocatus, ad summum Sacerdotii gradum præ humilitate reluctans, assumptus, velut consummatæ virtutis exemplar, juvenis licèt, omnibus præluxit. Noctes penè in-*Vitæ asperitates.* somnes ducendo, in rerum cœlestium contemplatione, ac Dei laudum cantu plures horas insumebat, nec nisi super nudam humum, aut lignorum struem, strato cilicio, brevissimæ quieti indulgebat. Flagris durissimis in se quotidie deseviens, cruenta non semel flagella adhibuit, jejuniisque ab Regula præscriptis alia adjecit, nec carnes, nisi

medi-

Medicorum urgente præcepto, gustavit. Obtemperandi studium antiquissimum habuit, quidquid juberetur, ita capessebat, ac si judicio, & arbitrio careret; nec majoribus tantum, sed æqualibus, ipsisque Monasterii famulis obsequebatur; adeo ut simplicem quamdam infantiam præferre videretur. Divinis scientiis apprimè imbutus, plures discipulos sanctè, ac piè instituit, eosque exemplo suo ad divinum amorem incendit. Mira in concionando dulcedine, & efficaci eloquentia præditus, populum non semel in præsenti discrimine ad pœnitentiam, & lacrymas excitavit, nec tam verbo, quam virtutis opinione uberrimos retulit fructus. Anno MDCLXIX, quum Ætnei ignis exundatione, jam penè urbs Catana, & suum S. Nicolai Monasterium in vastitatem abire viderentur, precibus ferventissimis, seipsum hostiam offerendo, divinam ultionem, uti piè creditum, avertit; hinc non diu post extinctum ignem, x. Kal. Julii, ætatis suæ anno XXX. divinis illustrationibus recreatus, & meritorum manipulis locuples, diutino stomachi labore excoctus, in proximo Bonaccursi vico, quò, ut saluti consuleret, fuerat paullo ante digressus, inter Monachorum manus lętus è vita migravit, cęlesti etiam visione à B. Virgine, quam singulari religione venerabatur, in mortis articulo honoratus. Ejus corpus, accolis licèt reluctantibus, in urbem delatum, ingenti civium, cujusque Ordinis frequentiâ in ejusdem S. Nicolai templo condigno honore tumulatur, postquam integrum diem, ut accurrentibus fieret satis, in sandapila, ardentibus continuò cereis, mansisset inhumatum. Claruit innumeris in vita, & post mortem signis, illudque præcipuè memoratur, quod integro triduo, modulatus avium concentus supra ædem, ubi animam exhalaverat, non sine ingenti voluptate

Eloquentia

Mors piissima.

fuerit ab opidanis exauditus. Scripsit ejus vitam Bartholomæus de Alexandro, atque in Auctario ad S. Nicolai Chronicon inseruit. De illo Mariani Armellini in Catal: Viror: Illust: Casinens. & Nos in Monast: Sicil: Hist:

Joseph Raymundus Sac. & Canonicus. XXV. *Josephus Raymundus* Sacerdos, S. Mariæ de Eleemosyna Canonicus. Hic honesto loco Catanæ progenitus, Matri antequam oriretur, à pio quodam viro, qualis esset futurus, prænunciatus, ipso Præcursoris Christi sacro die, anno MDCXIX. in lucem venit. Adolescens maturam quamdam animi virilitatem prætulit, morumque innocentiâ, ingenii acumine, ac modestiâ in primis adeo inter coævos emicuit, ut omen inde non obscurum de consummata ejus virtute parentes sumerent; Clericali hinc militia adscriptum voluere, & post emensas humanas literas, divinis scientiis adhibuerunt, quibus assequendis totus ipse incubuit, ac S. Theologiæ laurea in patria Academia insigniri meruit. Erga Divinum Eucharistiæ Sacramentum præcipua religione affectus, ut Sacerdotio initiaretur, in optatissimis habuit; quumque Catanensis Ecclesia ob Innoc: Maximi mortem vacaret, Syracusas, ut voti compos efficeretur, contendit. Exorta autem in mari tempestate, nautarum animos, qui de proximo naufragio timebant, ita erexit, ac si venti in sua essent potestate; secutamque mox tranquillitatem prædixit. *Sacerdotio initiatur.* Ea in urbe magnam de sua virtute opinionem ubi excitasset, ut sacrum characterem suscepit, gloriæ impatiens, occultè se proripuit, & in patriam remeavit. Ibi totum se lucrandis animis addixit, tradendisque fidei elementis pueris, ac puellis, dies integros insumpsit. Non paucos hinc Muhammedanos, qui servitutem serviebant, ad Baptismi gratiam, innumeros è vitiorum laqueis ad

pe-

pœnitentiam efficacissimis verbis traduxit, multos-que plures inculpatæ vitæ exemplis ad virtutem incitavit. His permotus Octavius Brancifortius, Catan: Pontifex curam illi, sacras Moniales instituendi, demandavit, quo in munere ad plures annos, summo cum earumdem emolumento, se commendavit. Reluctans subinde S. Mariæ de Eleemosyna Regiæ Capellę Canonicatu insignitur, ac sacram facultatem in publico Gymnasio, non absque insignis doctrinæ laude, & candidatorum fructu, professus est. Apoplexi demum correptus, dum annum LXVI. ageret, sensibus omnibus destitutus, quod ante dies aliquot prædixerat, adventante mox conscientiæ ejus Moderatore, utque ad pristina officia reverteretur, præcipiente, stupentibus, qui aderant, statim expergefactus, Eucharistiam pro Viatico expetiit, & obtinuit; mox aliis munitus Sacramentis, extremos spiritus ducens hymnum pro gratiarum actione: *Te Deum laudamus* clara voce cum cantu recitavit, moxque in letargum relapsus, VIII. Idus Augusti, hora noctis v. placidissimè expiravit. Decumbenti adfuere viri ex primaria nobilitate ministrantes; mortuo, quum venerationis ergo, digitos resecare quispiam tentaret, manum ille retraxit, nec nisi, ut sacrum de more exciperet calicem, & in sandopila aptaretur, aperuit. Ad Collegialem Basilicam condecenti pompa deductus, magnifico funere, Senatu, ac Civium omnium cętu frequente, efferri meruit, ac in communi primum sepulchro positus, signis etiam innumeris claruit.

Quum porro post annum, XIII. Kal. Novembres in decentiorem locum ejus inferre exuvias sodales Canonici decrevissent, corpus omnino incorruptum, dormientis instar, exta verò recenti adhuc sanguine conspersa invenerunt. Tunc sub *Funere post annum.*

illius

illius effigie breve hoc elogium fuit insculptum: *D: Joseph Raymundus, Cat: Regiæ, Et Insignis Collegiatæ Canonicus, Humilitatem Ita Puritate Conjunxit, Ut In Homine Angelum Agnosceremus. Obiit Anno Domini* MDCLXXXVII; Justisque exsolutis funebri rursus oratione commendatur. Fuit staturæ proceræ, oris jucundissimi, firmæque habitudinis, quas corporis dotes animi virtutibus cumulavit. Puritatem uti maximè dilectam in primis coluit, Virginalemque pudicitiam, ac primævam in sacro fonte innocentiam adeptam, ad canos usque illibatam deduxit. Humilitati semper studuit; hinc ut mentis inops haberetur, ludicra quædam quandoque simulavit. Quum impudicam, quæ ad ejus impugnandam constantiam venerat, vocibus, clamoribusque domo expulisset, ab iis, qui audierant, interrogatus, acriter illam increpasse respondit, quod ejus exosculari manus importunius expetiisset; quin alapa à quopiam in publica Urbis semita percussus, tacitus injuriam dissimulando, hominem præteriit. Ferventissima in Deum charitate ferebatur, prodebatque sese in vultu orantis, aut divina offerentis internus ardor. Ex nimio fundendi pro Christo sanguinis desiderio, quoties Apostolorum symbolum recitabat, æstuari videbatur; utque diutius sacramentali Dei sui præsentia frueretur; prægrandes hostias, ac vino pene completum volebat Calicem; quatenus dilata sacrarum specierum coctione, deliciæ, quibus ex tam intima cum Deo unione affluebat, protenderentur. In pauperes profusissimus, nemini stipem petenti denegavit; corrogata ex piorum eleemosynis annona, aut pecunia, illis in nulla re deerat, ac mulieres præsertim è turpi quæstu revocare satagens, omnia illis necessaria suppeditabat. Virgini Deiparæ peculiari religione addictus, sæpius, de sa-

Virtutes eximiæ.

Deiparæ addictissimus.

de salute minimè esse sibi desperandum dictitabat, quod sub illius viveret clientela. Obedientia præcipuus, multiplices corporis afflictationes, quas identidem usurpabat, ad illius nutum, cujus directioni sese addixerat, moderabatur, atque ab ejusdem ore unicè pendebat. Maxima demum, ut cętera prætercam, ejus in Deum fiducia fuit; dum sacris privatim operaretur, in magna hyemis siccitate, Præfationem cum cantu recitavit. *Deum* inquiens, *cantu solicito, qui toties exoratus, pluviam congruentem denegavit.*

Sed cęlestia in eum collata beneficia, quantum festinanti licebit, hìc præstat ultimò recensere. Et de pelagi tranquillitate, quam prædixerat, & obtinuerat, dum Syracusas contenderet, jam alibi. Non rarò densissimas inter pluvias, summa hyeme, ab audiendis ægrorum confessionibus, multa jam nocte rediens, domum immadidus pedem retulit; idque aliquando sociis evenisse tradunt. Quicumque ad eum consilii petendi gratiâ, aut salutis æternæ desiderio, accederet, flammas veluti divini amoris ex illius alloquio concipiebat; Nonnulli eumdem convenire cupientes, Custodem Angelum, ut ipse monuerat, brevissima oratione invocantes, aut subito, aut designata hora præ foribus astantem intelligebant. Dum in rerum divinarum contemplatione defixus, plures quotidie horas collocaret, sępissimè extra sensus rapiebatur. Missam celebrans adeo ineffabili dulcedine perfundebatur, ut eam vix posse capere familiaribus fateretur. In Dęmones miram exercebat potestatem, ex corporibus, aut locis, quibus insiderant, eos increpando ejiciebat. Morbo laborantibus, illorum fide excitata, verbo, aut assurgerent impetrabat. Pretiosam denique ejus in conspectu Domini mortem signa non pauca com-

Divinis donis abundat.

probarunt, ut de Processu, ut ajunt, Vitæ ejus ritè conficiendo Cives optimi cogitarent, quem tamen intermissum dolemus. Hæc ex brevi ejusdem Elogio in Chronico Colleg: Ecclesiæ, & funebri oratione (a) excepimus.

(a) Catanæ apud Bifagnium

Bonavent. Paternionius Ord. Capuccin.

XXVI. *Bonaventura Paternionius*, in sæculo Julius, Patre Agathino Paternionio, Matre Maria Biscaris Principibus natus, mundi pompas, paternæ domus delicias, oblatasque ab avia amantissima nuptias invicti animi constantia respuens, sub ipso ætatis flore, anno scilicet XXI. ad Fratrum Minorum, quos Capuccinos vocant, ordinem properavit, in quo Evangelicæ perfectionis exemplar evasit. Paupertatis enim tenacissimus, lacera, & obsoleta veste semper usus, minuscula etiam suorum dona sponte oblata respuit, aut si quæ importunius deferrentur, in pauperum, aut commune Cęnobii commodum convertit. Obedientia præcipuus, vel infimis fratribus subesse voluit; Castitatem verò adeo dilexit, ut à Deo ferventissimis precibus impetrarit, quatenus deformato corpore, orisque venustate deleta horrori intuentibus esset; hinc gibbosus ex contracta valetudine evasit, tantaque oculorum modestia incedere visus est, ut obvios, quosque ad meliorem frugem converteret. In rerum divinarum meditatione assiduus, cellam sibi angustissimam, ubi vix stando caperet in veteris Cęnobii horto construxit, multasque in ea horas orationi dabat. Humilitati perpetuò studuit, vix semel præesse suis, urgente majorum præcepto, in eodem veteri Cęnobio adduci potuit. Regularibus institutis, jejuniis, vigiliis, corporisque macerationibus ad senectam usque exactissimè vacavit, susceptumque ab ingressu in ordinem asperrimæ vitæ genus numquam, aut intermisit, aut immutavit. Mortis suæ præscius, familiaribus

Heroicæ ejus virtut.

Piissima mors

miliaribus non semel, longè ante, illius diem denunciavit, quem piissimè tandem LXIX. ætatis anno oppetiit Catanæ, in suo S. Mariæ de Spe Monasterio, dum totius Provinciæ in eo Comitia celebrarentur, Vulgaris æræ MDCCIX. die XV. ante Kal: Novembres. Elatus est ingenti pompa, & summa procerum, Senatus, ac cujusvis ordinis civium frequentia. Demortui vestes, certatim sibi populus non semel distraxit, innumerique sese à Deo varia impetrasse ejusdem intercessione professi sunt; cujus & hodie nomen in omnium adhuc ore versatur.

Alii hac nostra ætate vitæ innocentiâ, moribus incorruptis, divinisque charismatibus illustres floruerunt, quorum gesta posteri enarrabunt, eos autem ex nomine indicare consultò nolui.

CAPUT TERTIUM.

CIVES ECCLESIASTICA DIGNITATE INSIGNES.

ORdinem, munerisque gradum hic attendamus oportet, temporis nihilominus serie, quoad fieri potest, servata. Eorum verò, quos vitæ sanctitate commendatos jam supra memoravimus, nonnisi pura nomina dabimus, ne dicta repetamus.

I. *S. Agatho* hujus nominis Primus, Summus Pontifex. *S. Agatho*

II. *S. Leo II*, qui post Agathonem Romanam sedem illustravit. *S. Leo II.*

III. *Nicolaus Tedeschius* Abbas primum Maniacensis, mox Archiepiscopus Panormitanus, tandemque S.R.E. Presbyter Cardinalis Tit: SS. XII. *Nicolaus Tedeschius*

Apostol:

Apostol. Patritia gente Catanæ exortus, Patre nempe Antonio Seniore, qui post defectionem à Martino I. Siciliæ Rege, eidem adhæsit, Regiisque obsequiis insignis claruit, atque Ennensium Salinarum Baro in censu *Feudatariorum* sub eodem Martino describitur; Matre Agatha Intorella, sive Torella, cujus neptem Andrevam ex Marinella sorore Joannes Moncata Adrani Comes in uxorem duxit; ex ephebis egressus, in patrio Benedictino S. Agathæ Cœnobio religiosis votis anno MCCCC. sese obstrinxit; mox in jurisprudentiam tanta animi contentione incubuit, ut Bononiam, à suis Moderatoribus missus, eidem scientiæ sub Francisco Zabarella, celebri Canonum Professore operam daturus, Magistri lauream sit assecutus, Senisque decem, & amplius annis jura Pontificia interpetratus, Maniacensis Abbas anno MCCCCXXV. à Martino V. Rom. Pont. meruerit renunciari. Parmæ subinde, ac Bononiæ docuit, Apostolicus Referendarius, Generalis Apostolicæ Cameræ, & Rotæ Romanæ Auditor, Regique Alphonso à Consiliis suffectus, eodem agente ab Eugenio IV, anno MCCCCXXXIV. Panormitanus Archiepiscopus creatur. Ad Basileense Concilium ejusdem Regis Legatus, quum contendisset, facultate juris, & eloquentia plurimum valuit, atque Eugenii partes strenue propugnavit. Rursus verò ad idem transmissus, quod in seditiosum conventiculum abierat, atque Eugenio exauthorato, Felicem Pseudopontificem creaverat, ut Alphonso Regi morem gereret, Felici adhæsit, à quo sacra purpura condecoratus, anno MCCCCXL. Panormum rediit, Siculisque Comitiis præfuit, tandemque VI. Kal. Martii, vel ut aliis placet, mense Julio MCCCCXLV. decessit, in Cathedrali Panormi Basilica tumulatus cum hac epigraphe.

Morte

Morte tua Canon, & Leges, & Jura Quiritum
Occubuere, jacent hoc tumulata loco.
Tu Nicolaus eras, Tudisco sanguine natus, Obiit MCCCCXXXXV.
Panormi Antistes, & Catanensis eras.
Eugenio, & Basile discordi pace ruebat
Nostra fides: steterat te Duce Concilium.
Nominis, & tituli cumulos, & laudis adeptus,
Unde tuum texit rubra tiara caput.

Adjectum id Epitaphium marmoreo sepulchro *Nicolai Patria Catana* sub Joanne Paternionio, Catanensi, Panormi Archiepiscopo fabulantur, ut inde nusquam Panormitanos Catanam Nicolai patriam cognovisse adstruant. Miror, hæc viris alioqui cordatissimis excidisse, ac Mongitorio cumprimis, quem alibi, licèt satis numquam pro merito, laudavi, nec in sola Bibliotheca Sicula, sed in Auctario etiam ad Rocchi Pirri notitias, quod expensis meis lucem Panormi, anno MDCCXXXIII. aspexit, ubi me *Amicum Quemdam* veluti ex contemptu appellat. Miror, inquam; Qualicumque enim authoritate Joannes polleret, qui perperam Author Epitaphii vulgatur, publico in loco, Panormitanum civem dignitate, ac scientia celeberrimum, qua fronte Catanensibus suis accensere fuisset ausus? An non, Joanne saltem mortuo, delendum id verbum patriæ injurium S. P. Q. Panormitanus curasset? At enimverò nulli fortasse Panormitano, tunc temporis, fabella in mentem venit. Franciscus Baronius, Rocchus Pirrus, ac post illos Vincentius Auria scripta Apologia, Panormo Nicolaum adjudicare minimè veriti, ansam aliis id ipsum affirmandi tribuerunt. Non inficior unum, aut alterum externum, eo quod communi vulgi appellatione, Abbas Panormitanus Nicolaus audiret, scriptis suis eumdem Patria Panormitanum vulgasse, sed iis parcendum, utpote, quibus perspecta omnia esse

non possunt; Cæterum ex ipsis Panormitanis Petrus Ranzanus Episcopus Nucerinus Annal: lib. 41. ad Annum 1441. de nostro Nicolao penè sibi synchrono hæc scribit: *Nicolaus cognomento Tudiscus, natione Siculus, Catanensis, Juris Pontificii scientia suo sæculo nemini secundus judicatus est.* Marianus Valguarnera in Responf. ad supplicem Bernardi Colnago libellum, ubi Nicolaum hic allegat, scribentem S. Agatham fuisse Catanensem, reponit: Nicolai suffragium, utpote Catanensis, suspectum, non secus, ac illud Silvagii, habendum. Thomas Fazellus decad. 1. lib. 4. cap. 1. *Nicolaus*, inquit, *cognomento Todiscus Catanensis fuit.* Marius Aretius de Situ Sicil: *Nicolaus*, ait, *Tudiscus cognomento Abbas proximis ante annis Juris prudentissimus Catanæ claris ortus natalibus*. Ipsemet denique in Proem: Rubric: extra. De Jud: *Ego Nicolaus de Tudisco Catanensis Siculus.* Et alibi in Cap. *Noviter* de Jud: num. 13. *Ætna, quæ distat à Civitate mea fere 14. milliaria.* In Epist. demum ad Catanenses ann: MCCCCXXV. missa, eosdem *Concives* appellat, *vester Concivis* subscribit. Nec secus Catanenses ipsi in Epist: ad Martinum V. Rom. Pont: & Alphonsum Regem, quibus Nicolaum commendant, *Concivem* sæpius illum dicunt. Missos hic facio exteros, Guidonem Pancirolum, Bellarminum, Tritemium, Ciaconium, Ghilinum, Æneam Silvium, aliosque, de his enim quod scribant, ut audiunt, non ut vident, quispiam dixerit. Quod porro Pancirolus obscuris natum parentibus Nicolaum affirmat, quum Catanæ aliunde nobilissima Tedeschiorum familia per id tempus audiret, & Antonius de Bononia vulgo Panormita, ad Basileæ Concilium viros doctrina insignes Alphonsum Legatos misisse, minimè verò sanguinis præstantia celebres, tradat,

quod

quod denique Panormi gens Tudisca plebeja per idem tempus fuerit, non hinc Panormus Nicolai patria evincitur. Pancilorus enim, uti ex invidia alia Abbati nostro appinxit crimina, ejus etiam ingenuam stirpem labefactare voluit, sed Catanæ ortum non inficiatur. Panormita doctrinæ, non sanguinis excellentiam suis in Legatis Alphonsum attendisse insinuat, non hinc Legatos ęquè nobiles, doctosque negat; Num enim Joannes Piscis Nicolai socius plebeja gente natus? Habeat cæterum Panormus Tudiscam gentem inter Plebejas. Tudischi Catanenses, quorum filius Nicolaus, Patricii, pluribus ab hinc sæculis, effloruere. Verum enimvero iniquus in tam celebrem virum videris, o bone, qui, ut tuum illum facias, glorię avidum deprædicas, ac sese Catanensem dictitasse, ut ingenuum venditaret, affirmas. Quis denique unquam audivit Benedictinos Alumnos à loco, ubi professionem emittunt, sibi cognomen adsciscere? Immo patrium tenent, atque ab urbe, ubi ortum habent, compellantur, isque mos apud ipsos antiquissimus.

De Nicolao Grossus in libro, cui titulus *Abbas Vindicatus*. Carrera de Familia Tedeschia, Mongitorius in Bibliotheca, qui æreum extare numum scribit, in cujus antica facie Nicolai caput, in postica verò Trutina justitiæ, virtutisque ejus testis; Sigillum à Grosso allatum servat Innocentius Roccaforte Catanensis Ecclesiæ Canonicus, Pulcherrimum Nicolai Simulacrum è pario marmore Bononiæ in S. Proculi Benedictino Cęnobio se vidisse testatur in Itinerario Victorinus Aucellus; necnon Bernardus Montfaucon. Operum Indicem dabimus cap. v. ubi rursus de Nicolao aliqua promenda, de nomine præsertim Abbatis Panormitani, occurrunt.

Joan-

Joannes de Primis S. R. E. Cardinalis.

IV. *Joannes de Primis* S. Pauli de Urbe Abbas, Catanensis Episcopus, ac S. R. E. Cardinalis Tit: S. Sabinæ. Hunc Ciaconius Messanæ civem dicit, hinc Joseph Bonfilius suis accenset, aliique Scriptores, Ciaconium sequuti, Messanensem faciunt, sed immerito; Catanæ enim lucis usuram fecit, seque Catanensem civem in Epistola, quam ad Senatum Catanensem dedit, à nobis exscripta anno MCCCCXLIV. appellat. Hinc Siculi penè omnes Joannem Catanæ adscribunt. Monastica vota sub S. Benedicti institutis in S. Nicolai de Arena Cęnobio emisit, inde Patavium contendens, Monachis S. Justinæ sese adjunxit; quo nomine, ejusdem Patavini Monasterii primum Prior, mox Abbas tertius à Ludovico Barbo, ac totius Congregationis Præses renunciatur anno MCCCCXXXVIII. Romam ab Eugenio IV. evocatus, S. Pauli de Urbe Cęnobio præficitur, & Apostolicus Commissarius pro Siculis Ecclesiis lustrandis, legatusque ad Alphonsum Regem constituitur. Tunc publicam in sua Patria Scientiarum Academiam firmandam, sive instaurandam, ejusdem Eugenii diplomate suscepit, quam ab Alphonso Rege confirmatam voluit; Factusque Catanæ Episcopus legibus perscriptis statuit. Purpuratos inter Patres demum relatus anno MCCCCXLVI. quum Eugenio Pontifici, ipsique Alphonso, necnon Romanæ Ecclesiæ strenuam navasset operam, piissimè, ut vixerat, fatis concessit, in S. Severini Neapolitano Cęnobio tumulatus. Illum laudant Ciaconius, Pirrus, Wion, Grossus, & Cavacius in Hist: S. Just; qui excelluisse Joannem, ait sanctitate, & eruditione, & quod magis mirandum, negotiis Principum sese aptissimum probasse; insignem denique continentis vitæ exemplo, ac retentæ disciplinæ monachalis deprædicat.

Publicam Catanæ Academiam instaurat.

Joan-

V. *Joannes Paternionius* Cœnobii S. Agathæ Prior, S. Mariæ Novælucis Abbas, Pontifex Melitensis, & Panormitanus Archiepiscopus, Cardinalis designatus, ac Siciliæ Prorex. Omnibus hisce titulis Joannes noster effulsit, hos omnes gradus illustravit, & quod præcipuum est, ingentibus literarum promeritis, & Juris utriusque peritia tam insignis est habitus, ut Doctor fundamentarius meruerit appellari. De eo Pirrus in Not: Panor: *Joannes Paternionius Archiepisc. Panorm.*

Catanæ ortus Joannes anno circiter MCCCC. XXXI. genus repetens suum à Roberto, & Constantino de Paternione Bucherii, & Parthanę olim Comitibus, S. Agathæ Monachis accensus, maturitate morum, atque ingenii præstantia adeo se commendavit, ut S. Leonis de Asaro Prior, Archidiaconus, ejusdemque demum Ecclesiæ Prępositus sit renunciatus. Generalem Episcopi Catanensis Vicarium sæpius egit, atque à morte Bernardi Margariti in Patriæ Pontificem à Monachis electus, & postulatus v. Kal. Julii MCCCCLXXXVI, quo sane tempore Cœnobii Novælucis Abbatia fruebatur, & Melitensi Ecclesiæ præerat, quum nec Regium beneplacitum, nec Pontificiam obtinuisset confirmationem; commutata cum Petro de Fox sede, Archiepiscopus Panormitanus anno MCCCC. LXXXXIX. renunciatur. Hinc Regni Præses bis atque iterum delectus, pluribus titulis, nedum de sua cathedra, sed de insula etiam universa præclarè meruit. Ab Julio demum II. cujus, dum esset Catanæ Episcopus, vices gesserat, Romam evocatus, ut sacra Purpura donaretur, teste Jo: Jacobo Adria, morte præventus, è vivis abiit v. Kal: Februarii MDXI. penè octogenarius. Ejus sepulchrum ex marmore sine epigraphe cum familiæ tamen insignibus in Principe Panormitano templo, quod conspicuum variis ornamentis reddide-

rat, visitur. De eo rursus cap. v. ubi Catanenses Scriptores recensemus.

Jacobus Tedeschius Archiepisc. Messanen. VI. *Jacobus Tedeschius* S. Mariæ de Altofonte Abbas, & Archiepiscopus Messanensis. Editus in lucem Catanæ Parentibus Antonio Juniore, & Constantia, Cisterciense institutum à pueritia amplexus est. Moribus, ac virtutibus eximiis præditus, ubi innotuit, Cœnobio S. Luciæ de Montaneis prope Netum, quod alteri de Balnearea in Calabria adjunctum erat, Abbas primum præficitur, mox S. Mariæ de Altofonte, vulgo de *Parco* longè celebrioris, designatur anno MCCCCXXXVIII. Tunc Nicolai Tedeschii avunculi sui Panormitani Præsulis vices obtinuit, subindeque MCCCCL. Messanæ Archiepiscopatum, unà cum sedis vacantis, ut ajunt, juribus impetravit. In ejus Ecclesiæ regimine strenue sese gessit, metropolitica jura propugnavit. Enituit Jacobi pietas, atque in pauperes liberalitas grassante præsertim lue, in urbe Messanensi, ac in Judaica ejusdem regione. Decessit pridie Idus Martii MCCCCLXXIII. Cujus sepulchro hæc adjecta inscriptio:

Jacobus Antistes, clarum Teutonia nomen,
Cui dederat, gelido candor in hoc tumulo.
Consule Pirrum Not. Eccles. Messan.

Nicolaus M. Tedeschius Archiepisc. Apamen. VII. *Nicolaus Maria Tedeschius* Episcopus Liparitanus, Sac. Rituum Congregationi à Secretis, & Archiepiscopus Apamenus. Catanam anno elapsi sæculi LXX. suis natalibus illustravit, Parentes verò Jacobum Tedeschium, & Annam Abbatem, æquè nobilissimos habuit, à quibus ingenuè educatus, sanctisque moribus imbutus est. Infans inter Sac. Religionis Jerosolymitanæ equites adscriptus, invitis, suis Benedictinæ Regulæ in S. Nicolai de Arena Cœnobio nomen dedit, ætatis anno XVI. ubi sub Camillo Mancino Monasti-

cæ

cæ disciplinæ, & Felice Romano, Philosophiæ, ac Theologiæ præceptoribus, mire profecit, moxque in patria Academia magistralem lauream assecutus, ejusdem Monasterii alumnis doctrina imbuendis aliquandiu incubuit; Romam evocatus, ut Pœnitentiarii munere, Jubilei Anno MDCC. in S. Pauli de Urbe fungeretur, in S. Anselmi Collegio ibidem S. Theologiæ interpres per sexennium designatur. Prior subinde electus, atque ob scientiæ profunditatem in Sacro Quæsitorum Fidei Tribunali Qualificator, Indicis, Indulgentiarum, & S. Rituum, ut ajunt, Consultor renunciatur, à Clemente demum XI. Liparensis Ecclesiæ Pontifex consecratur. Libertatis Ecclesiasticæ acerrimus assertor, atque ob id eidem summo Pontifici inprimis charus, Romam denuo anno MDCCX. reversus, S. Rituum Congregationi à Secretis factus, diu illi muneri, & præclarè fecit satis, ac Theologus insuper sive Consultor S. Officii effulsit. Liparensi Episcopatui nuncio remisso, anno MDCCXXII. ad Archiepiscopalem Apameæ sedem in partibus Infidelium, Innocentio XIII. benignè annuente, transfertur; utque aditum omnem dignitatibus intercluderet, sacræ specus sublacensis, ubi SS. Patriarcha Benedictus perfectioris vitæ fundamenta jecit, Monasterium, in quo delitesceret, tutum veluti asylum sibi adscivit. Id porro jam ab anno MDCXXXII. suis sumptibus instauratum, ac censu annuo, unde decens Monachorum collegium in illo ali posset, instructum, pristino splendori restituerat. Quumq; sibi uni, ac Deo inibi vacaret, à Benedicto XIV. denuo in Urbem per Epistolam revocatus, pluribus dilectionis signis affectus, donisque etiam Purpuratis Patribus deferri solitis, cohonestatus, adeout publicè sacro Galero donandum universi ominarentur, immaturo fato ereptus, vivere desiit

anno

anno MDCCXLII. III. Kal: Octobris; Cujus corpus in Ecclesiam ejusdem Cœnobii sacræ specus translatum, ibi cum hoc epitaphio, quod sibi Nicolaus concinnaverat, requiescit. *Quisquis Hic Oras Nicolao Maria Tedeschi, Vita Peccatori, Appellatione Monacho, Primum Episcopo Liparensi, Deinde Archiepiscopo Apameno, Bene Precare.* De Nicolai Scriptis inferius cap. v.

S. Everius Episcop. VIII. *S. Everius* Catanæ Episcopus, de quo cap. I.

S. Severinus Epist. IX. *S. Severinus* Catanensis, & ipse Pontifex. De eo cap. I.

Fortunatus Epis. X. *Fortunatus* Catanensis etiam Episcopus. Illius gesta habes Tom. I. lib. 3. cap. 5. num. 3. pag. 331. ad annum DXV. Ubi Ennodio Ticinensi Pontifici sanctitate, & scientia celebri, socium adscitum Fortunatum nostrum ex Anastasio Bibliotechario vidimus, cui Abdo Floriacensis Abbas, & Genebrardus in Chron: subscribunt. Baronius anceps animi esse videtur, eo quia clarus etiam eo ævo fuit Fortunatus Tudertinus Episcopus; immo Alexander in Eccles: Hist: sæc. 5. cap. 3. art. 56. citra hesitationem Tudertinum Fortunatum Ennodii comitem affirmat, sed utrique aberravit calamus, nec est, quod ab laudato Anastasio discedamus, clarissimè Fortunatum Catanensem Legatum cum Ennodio ab Hormisda Rom. Pon: transmissum scribente. Cæterum Ughellius, qui tom. I. Tudertinum Fortunatum appellat in Episc. Ticinensibus de Ennodio ait: *Collegam habuit Fortunatum Catan: Episcopum.*

Elpidius Cat. Episc. XI. *Elpidius.* Hunc Catanæ Episcopum statuimus anno DLXXX, atque ab alio diversum, cujus in Epistolis Pelagii I. Rom. Pontificis ad Cethegum Siciliæ Patricium fit mentio; Verum enimverò, quum ab eruditis eidem Pelagio I. adscribi

Epi-

Epistolas ad Clerum Catanensem, & ad Elpidium edocti, ex novissima præsertim dissertat: claris viri *Lami* ad *Baldassaronem* in Florent: Literariis notitiis exscripta, sententiam mutare cogamur, Elpidium inter ann: DLV. & DLIX. locandum dicimus. Cæterum consule ea, quæ lib. 4. cap. 1. 2. 6, & 7. leguntur.

XII. *Leo* hujus nominis primus, Pontifex Catanensis. *Leo Episc.*

XIII. *S. Joannes* ex Diacono Catanensis Ecclesiæ, Episcopus Syracusanus, de quo cap. 1. n. 9. *S. Joann. Ep. Syrac.*

XIV. *Julianus* Episcopus Catanensis anno DCLXXX. *Julianus Episc.*

XV. *S. Jacobus* Martyr Catanæ Pontifex. *S. Jacobus Episc.*

XVI. *S. Sabinus* Episcopus. De his eodem cap. 1. n. 11. & 12. *S. Sabinus Episc.*

XVII. *Theodorus*, qui Niceno II. Concilio uti Catanæ Episcopus interfuit, ac subscripsit anno DCCLXXXV. Primusque Siciliæ Metropolita creditur. Videsis Tom. 1. lib. 4. cap. 3. n. 3. & 7. *Theodorus*

✝ XVIII. *S. Serapion* Episcopus, & Conf: quem alii Martyrem dicunt. De eo cap. 1. *S. Serapion Episc.*

XIX. *S. Severus*. Hunc etiam eodem cap. 1. laudavimus. *S. Severus Episc.*

XX. *Euthimius* Catanæ Metropolita, uti illum Photius Constant: Patriarcha appellat in Epistola, quam lib. 4. cap. 3. n. 16. exscripsimus. *Euthimius Episc.*

XXI. *Antonius* Metropolita & ipse, ut ex plumbeo sigillo clarissimè eruimus, quod Grossus exhibet, necnon Ficoronius, & nos etiam retulimus lib. XI. Tab. 8. num. 10. *Antonius Episc.*

XXII. *Mauritius*, qui secundus post instauratam, Saracenis exactis, ab Rogerio Comite Pontificiam Catanę dignitatem, clavum tenuit. Sub eo S. Agathæ corpus è Byzantio in Patriam translatum. Translationis verò historiam Mauritius ipse *Mauritius Episc.*

composuit, uti habes Tom. 2. lib. 5. cap. 1. n. 25. & sequentibus.

Ivenus Cat. Episc. XXIII. *Ivenus* Catanensis Electus, & Abbas.

Bernardus Episc. XXIV. *Bernardus*, qui, & ipse Electus etiam dicitur. De his lib. eodem cap. 2.

Robertus Episc. XXV. *Robertus* Catanæ Episcopus, qui Pallium ab Alexandro *III.* Rom. Pont: impetravit. Ejusdem gesta exscripsimus lib. 5. cap. 2. n. 14.

Rogerius Ocho Episc. Catan. XXVI. *Rogerius Ocho* nobili genere Catanę ortus, S. Agathæ primùm Monachus, mox Abbas, & Episcopus pluribus vitæ meritis commendatus. Floruit anno MCXCIV. & sequentibus, sub Henrico VI. Rom. Imper. & Siciliæ Rege; De quo Pirrus, & Grossus.

Rivibardus Ep. Milet. XXVII. *Rivibardus* ex Monacho S. Agathæ Mileti in Calabria Pontifex. Ejus meminit Ughellius in Ital: Sac. Tom. 1. ad annum MCCXX. n. 16. Hic Grossum omnino latuit.

Joannes Episc. Pact. XXVIII. *Joannes* Pactensis, & Liparitanus (erant id temporis Ecclesiæ unitæ) anno MCCCCVI. inauguratus, Friderici *II.* Sicil: Regis quum aliquando animum offendisset, insula excedere cum suis Canonicis, & Monachis cogitur, sed mox Joannis XXII. Rom. Pont. authoritate Ecclesiæ suæ restitutus illi laudabiliter præfuit, atque anno ætatis LXXV. ibidem fato functus in principe templo conditur. Pirrus vitæ integritate præcipuum, atque ex ordine Prædicatorum assumptum dicit; quem sequitur Fontana in Theat: Dom. p: 1. tit. 337. Ughellus verò Liberianæ Ecclesiæ Canonicum appellat, atque anno MCCCIV. à Benedicto XI. Rom. Pont. kal. Februariis Episcopum consecratum docet; præfuisse denique ann: XXXVIII, ac sub Clemente VI. an: MCCCXLIII. sublatum à vivis evulgat.

Joannes de Luna Episc. XXIX. *Joannes de Luna* Regio genere natus

tus ex Sigismundo, aut Ximenio de Luna, qui cum Petro Aragonum Rege in Siciliam venerant, genus deducens suum, uti Pirrus tradit. Catanæ Pontifex, & Civis, sic enim illum pluribus in locis Michael de Platia synchronus author appellat. De eo nos lib. VI. cap. V. num. XVI. Memoratur Fazello, Pirro, & Grosso. Monasterium S. Mariæ de *Monacabus* alteri S. Juliani univit anno MCCCLV. In Mascalarum opido Administros constituit, ab iisque jusjurandum de bene regenda Republica recepit. Obiit eodem anno, ut Grossus credit.

XXX. *Martialis* ejusdem Cœnobii S. Agathæ alumnus, subinde Catanensis Episcopus, & Abbas. De eo latius lib. 6. cap. 6. & 7. Obiit Avinione, dum apud Gregorium XI. Friderici Regis Legatum ageret anno MCCCLXXV. *Martialis Epis.*

XXXI. *Joannes Cajetanus* Stabiensis Pontifex, ex Suffraganeis Surrentini, Patriam habuit Catanam, parentes nobilissimos. In S. Agathę Cœnobio, vel ut aliis arridet, in illo S. Nicolai de Arena Monachum professus, ob præclara vitæ merita, atque in sacris literis peritiam ad pontificale munus evectus, longè majoribus virtutum radiis effulsit. Catanæ aliquando quum degeret, Sor: Catharinæ de Barlione, in Abbatissam S. Benedicti electæ, benedictionis insignia impertiit, Martiale Catanensi Episcopo facultatem concedente VI. kal. Novembris MCCCLXVI. De eo Grossus in Decach. & Ughellius de Epis. Stabiens. num. 20. *Joannes Cajetanus Epis.*

XXXII. *Thomas de Herbes* Catanensis, Petrolo de Herbes, & Flora nobilissimis natus; Benedictinis in patrio Cœnobio institutis se addixit, ac Juri Pontificio totus incubuit, in quo celeberrimus evasit. Hinc Bonifacii IX. Rom. Pont; cujus erat *Referendarius*, IV. Non. Martii MCCCLXXXVIII. *Thomas de Herbes Epis. Syrac.*

LXXXVIII. literis Syracusanus Episcopus renunciatus, quum Diœcesim ex more lustraret, Terrænovæ à piratis captus, in Africam abducitur, nec nisi ingenti auri summa exsoluta, ad suam Ecclesiam redire permissus est, in qua multis præclarè gestis emicuit, uti apud Pirrum habes. Anno demum pontificatus XXXI. Christi verò MCCCCXIX. pridie Idus Martii Catanæ mortalis esse desiit.

Antonius de Vulpono Episc.Melit. XXXIII. *Antonius de Vulpono* Catanensis Cœnobii Asceta, tum Archidiaconus, ac demum Milevitanus, sive Melitensis Episcopus, anno MCCCLXXIII. ab Gregorio XI. sollemni ritu die XX. Octobris consecratus; de quo laudati Pirrus, & Grossus. Rexit Ecclesiam suam summa cum laude, sedulique Pastoris partes explevit. Catanæ mortem nactus est, mense Novembri, anno MCCCXCII. in cujus principe templo sepelitur.

Antonius Platamonius Episc. Meliten. XXXIV. *Antonius Platamonius* summo loco Catanæ exortus, S. Agathæ Cœnobita, Melitæ & ipse Antistes, anno MCCCCXI. Canonicis deligentibus, ac Blancha Regina volente, constituitur; à qua bonorum Ecclesiæ administrationem, quo usque sollemniter à Rom. Pontifice inaugураretur, obtinuit. Præfuit summo gregis sui bono. De eo Pirrus, & Grossus.

Thomas de Asmari Cat.Electus XXXV. *Thomas de Asmari* genere nobilissimus, patrii Monasterii S. Agathæ Monachus, & Prior; mox Blancha Regina, Regnique Vicaria volente, Catanensis Pontifex electus, quum à Rom. Pontifice consecrationis insignia minimè obtinuisset, per aliquod tempus Ecclesiam administravit. De eo nos lib. 6. cap. 8. num. 30. & lib. 7. cap. 1.

Matthæus Pact.Episc. XXXVI. *Matthæus* ex Ordine Prædicatorum assumptus, de Rebus Fidei primum in Sicilia Generalis Quæsitor claruit anno MCCCXCVII, Siculamque Provinciam rexit. Pactensi subinde Cathedræ impo-

impositus, eam eximiis virtutibus illustravit. Fuit Bonifacio IX. Rom. Pont: summè charus; Ecclesiæ suæ jura strenuè promovit; ac anno demum MCCCCXXXI. mense Majo fatum invenit. De eo Pirrus, & Fontana in Theat. p. 1.

XXXVII. *Joannes Piscis* Catanæ civis, & Episcopus. Hic clarissima gente natus, vix ex ephebis egressus inter Minores Fratres, quos Conventuales appellant, adscriptus, publicè Philosophiam professus est, ac S. Theol. Magister adscitus, Ordinis Academias decoravit. Staturæ fuit exiguæ, quo circa *Piscitellus* vulgo dicebatur, solidæ tamen vocis organo gaudebat; hinc in concionando floridus æquè, ac eruditus, expedita loquela audientium animos mirificè oblectabatur. In literariis concertationibus subtilis, quemquam secum disputantem illudebat, unde effatum illud: *Pisciculus thymnos in rete conclusit.* Universali Comitiorum plausu Provinciæ Moderator renunciatus anno MCCCCXXI; mox unà cum Nicolao Tedeschio cive ad Basiliensem Synodum Alphonsi Regis Legatus, mirabilem, quam de se ipso in Sicilia excitaverat opinionem, superavit. Ad Catanensem Cathedram evectus, quum aliquandiu egregiè illi operam navasset, senio confectus, anno MCCCCXLIV. extremum diem obiit; in suo Cathedrali templo sepultus. Consule lib: 7. cap. 1. num. 20. nec non Pirrum, Gróssum, & Cagliolam Manif: 6. Prov. Sic: Minor: Convent: Fratres habuit natu majores Antonium, & Simonem, de quibus suo loco.

Joannes Piscis Catan. Episc.

Legatus ad Concilium Basil.

XXXVIII. *Bernardinus*, aliis *Bernardus Paternionius* Ordin. Cisterciensis, Patre Illustrissimo, ob cujus merita, propriæque virtutis intuitu Abbas primùm Agyrensis, indeque Episcopus Milevitanus anno MCCCCXLV. Alphonsi Regis volunta-

Bernardus Paternò Ep. Melit.

te, & Canonicorum postulatione, adsciscitur. Brevì tamen, post biennium nempe, Catanę diem suum invenit, cujus majori Basilicæ illius infossum est cadaver. Consule Pirrum, & Grossum.

Jacobus Paternò Melit. Episc. XXXIX. *Jaymus, sive Jacobus Paternionius* Nicolao Forestæ Domino, Martini Regis Familiari, ejusque Catanæ *Secreto*, progenitus, post Bernardum Melitæ Episcopus, anno MCCCCXLVII. Fuerat S. Agathæ alumnus, & S. Mariæ de Milo Prior, Abbas dehinc Agyrensis, uti ex variis constat monumentis, quibus Ego olim destitutus inter eosdem Abbates Jacobum in notit: Sicil: Monast: not: XII. minimè recensui. Et sane, quum illi Cęnobio præfuerit Jacobus ante Bernardinum, hunc verò Melitæ Antistitem ante Jacobum habeamus, si conjecturæ locus est, putandum quod in favorem Bernardini sese Jacobus Abbatia abdicaverit, qui vitæ privatæ studiis per annos aliquot delectatus, post Bernardi mortem, ad Melitæ Ecclesiam vocatus per menses illam rexit, aut fortasse, eidem quoque nuntium remisit. Laudantur Bernard; & Jacobus à Grosso, Pirro, Scipione, & Josepho Paternioniis in m. s. opusculo de propria *Familia*.

Antonius Alagona Melit. Episc. XXXX. *Antonius de Alagona* Malectæ Alagonii, Regii Camerarii frater, sanguinis nobilitate præcipuus, vitæ puritate, ac meritis illustrior, ex Monachis S. Agathæ, Melitæ infulis donatus, ann: MCCCCXLVII, ab Eugenio Rom. Pont. consecrationis insignia accepit. Optimi pastoris opinione ad annos triginta, & unum clavum tenuit, ac dignitati demum, ut sibi viveret, nuntium anno MCCCCLXXVIII, remisit. Circa hæc ipsa tempora *Richardum* ex S. Agathæ Cœnobio assumptum, Melitæ Episcopum dicit Abela, sed irrepsisse errorem credit Mongitorius.

Ximenius de Alexandro Trojan. Episc. XLI. *Ximenius de Alexandro* Trojæ in Apulia

pulia Episcopus, anno MCCCCLXXIV, Catanensis Ecclesiæ Administrator, uti Pirrus tom. 2. not. 1. scribit. Patriæ Proceribus satus; an fuerit Ximenius inter Benedictinos Cœnobitas etiam adscriptus, Authores minimè produnt. Cæterum Ferdin: Ughellius in sua Italia sacra tom. 1. ubi Trojæ Pontifices enumerat, Ximenii nostri non meminit. Consule Grossum Decach. chor. 9.

XLII. *Bernardus Margarithi* ex Monacho S. Agathæ Joanni Regi à secretis conscientiæ, Abbas S. Petri de Rodes in Gerundensi Diœcesi, Catanensis Pontifex, & Cephalœdensis quoque sedis aliquandiu Rector, ad Archiepiscopalem denique Montisregalis Ecclesiam administrandam postulatus, quam tamen non obtinuit, post multa pastoralis solicitudinis, atque inculpatæ vitæ egregia facinora, senio confectus, Catanæ in sua patria decessit. Videsis lib. 7. cap. 3. num. 10. De Bernardo cum laude scribunt Grossus, & Pirrus. Claruit anno MCCCCLXXVII. *Bernardus Margarithi Ep. Cat.*

XLIII. *Hieronymus Asmundus*, sive *Sismundus* Patrii Cœnobii alumnus, genere conspicuus, doctrinâ, ac moribus commendatus, Pactensem Ecclesiam anno MDXLV. regendam suscepit, quam præclarissimis vitæ exemplis illustravit. Fuerat Catanensis Basilicæ Cantor, S. Gregorii de Platia Prior, ac Jacobi Raymirez Vicarius. Obiit senex anno MDXLVIII. De quo Pirrus. *Hieronymus Asmundus Pact. Episc.*

XLIV. *Aloysius Suppa* Ordinis Prędicatorum Catanæ honesto loco progenitus, Cephalędii religiosæ vitæ tirocinium posuit, sed perfectioris vitę desiderio, S. Citæ Panormitani Cœnobii ascetis inde accenseri voluit, ubi Philosophicis, ac Theologicis scientiis apprime excultus, vix triginta annos natus Magisterio decoratur, ac Laurea subinde Parisiis insignitur. Eximius Verbi Dei Prę- *Aloysius Suppa Agrigentinus Episc.*

co,

eo, quum evasisset, anno MDXI. ad promovendam in Sicilia *S. Cruciatæ*, uti appellant, Bullam à Leone X. Rom. Pont. concessam adsciscitur. Philosophos hinc, ac Theologos magna nominis fama est interpetratus, nullumque Scriptorum genus fuit, in quo non diceretur versatus, ac in sacris de conscientia quæstionibus enodandis præclarissimus evasit, adeout vulgo: *Pater à Consiliis* vocaretur. Petri de Tallavia Panormitani Archiepis: & S. R. E. Cardin: Theologus, cum eo ad Tridentinum Concilium venit, ejusdemque vices in Panormitana Diœcesi diu substinuit. Ordinis sui Provinciam Siculam tertium administravit, ac Siciliæ Proregibus, Montisleonis, & Metymnæ cęli Ducibus fuit à confessionibus. Agrigentinus demum Pontifex anno MDLXV. inauguratus, aliquando de ea Ecclesia egregiè meruit, & Canonicorum in illa numerum auxit; Cleri, ac populi moribus reformandis intendit. Mortuus ad suum delatus est, uti mandaverat, Cœnobium, in cujus templo cum hac Epigraphe ejus visitur è marmore tumulus. D. O. M. F. *Aloysius Catanensis Prædicatorum Ordinis in Re Theologica Siculorum Decus, & Episcopus Agrigentinus, hoc tumulo conditur, cujus vitæ candorem, ac summum pacis miratur mundus, ac desiderat. Vixit annos* 84. *sed anno* 4. *sui Prçsulatus obiit Agrigenti* 3. *Kal. Octob. Anno* 1569. Ejus meminere Fontana in Theat: Domin: p. 1. Michael Pius tom.2. Pirrus, Grossus, & Mongitorius.

Vincentius Cutelli Catan. Episc. XLV. *Vincentius Cultelli* ex primaria, pluribusque titulis clara stirpe satus, virtute, ac scientiâ nobilior, Eremi S. Hieronymi vulgo *La Mecca* diu cultor, Philippo Regi, satis à morum probitate acceptus, eidemque à Sacello; In Hispaniis Apostolicus Visitator; In provincia Patrimonii Romanæ sedis Generalis Gubernator, Catanensis demum

demum Pontifex anno MDLXXVIII. Romæ dum ageret, antiquos, recentioresque Catanenses Præsules in Catalogum redegit, qui olim in S. Nicolai de Arena, hodie in Bibliotheca Innocentii Roccafortis m. s. servatur. Obiit ibidem an: MDXCVII. De eo alibi.

XLVI. *Nicolaus Stizia* equestri gente Catanæ ortus, Juris consultissimus, Regius *Capellanus*, ac primus Legationis Apostolicæ in Sicilia Ecclesiasticus Judex anno MDLXXIX. Abbas S. Philippi de Grandis, Ordin: S. Basilii, moxque S. Mariæ Novælucis; hinc Messanensis Archimandrita, ad Cephaledensem denique sedem ann: MDXCIII. elatus, quum optimè de ea meruisset summum diem obiit MDXCV. Mortuo Regium chirographum, quo ad Patriæ Præsulatum vocabatur, Octavius Raymundettus Raymundi Præsidis filius obtulit, ut Grossus scribit chor. 9. m. s. Illum commendant Pirrus, idem Grossus, aliique ex Siculis, de quo inferius. *Nicolaus Stizia Ep. Cephaled.*

XLVII. *Eustachius Quintana*, Catanensis patria, Ordinis Prædicatorum Alumnus, Ansloensis Episcopus. *Anslo*, inquit Martinus Zeilderus in descript: Daniæ, & Norvvegiæ, *Urbs Episcopalis in Norovegia à Rege Heraldo extructa*. Ansloa, sive Asloja Urbs Episcop. Norvegiæ sub Archiepisc. Nidrosiensi dicitur, ab Auberto Mireo, in notit: Episc. lib. 5. Grossus noster *Apud Suevos* Episcopum egisse Eustachium anno MDCIV. tradit; sed vereor, ne irrepserit error; Norvegia enim ab Romana Ecclesia descivit longè ante initium sæculi XVII; In Suevia nulla est urbs Episcopalis Ansloensis. Nulla etiam apud Fontanam in Theatro Ordin: Præd: Eustachii, aut alterius Ansloensis Episc. est mentio. Neque apud Pium de Viris Illust. ejusdem. Codicem Pii in Messanensi Biblio- *Eustachius Quintana Episc. Ansloensis*

theca S. Dominici vidi, ubi manu exaratum Eustachii nomen in Elencho adverti: *Eustachius de Cattanea Episcopus in Græcia*.

Ignatius Amicus Episc. Agrigent.

XLVIII. *Ignatius Amicus*, Petri Præsidis, & Potentianæ Cannizaræ filius, quorum uterque avita nobilitate Catanæ effulsit; S. T. ac J. U. laurea insignitus, Canonicus, & Cantor, necnon sub Marco Antonio Gussio Episcopo Catanensis Ecclesiæ Vicarius, Sacrorum Canonum, ac Juris Cæsarei ad annos penè xx. in publica Academia Antesignanus; Ad Philippum IV. Hispan. Regem pro arduis patriæ negotiis Legatus, Pactensis Pontifex anno MDCLXII. ac demum Agrigentinus. Ingenii præstantiâ, morum integritate, animi magnitudine, aliisque virtutibus insignis, quas, auctus dignitatibus, cumulavit. Pastorali enim solicitudine, zelo divini cultus, libertatis Ecclesiasticæ amore nemini decessit. In pauperes largissimus, sindones, interulas, ac cubiculi supellectilem, pecuniis erogatis, atque exhausto ærario, non semel petentibus distribuit: Religione in Deum præcipuus Sacram Eucharistiam pro Viatico ad ægros delatam magno pietatis sensu comitabatur. Fovendis Literatorum studiis assiduè intentus, eosdem præ aliis ad honores promovit. Juribus Ecclesiæ vindicandis perpetuò addictus, Pactense Tabularium concinnatum voluit; disciplinæ tenacissimus; ornatum domus Dei, ac sacri ordinis decorem strenuè promovit, gregis sui mores composuit. Omnibus optatissimus Agrigenti vitam piissimam clausit an: MDCLXVIII. decimo octavo Kal. Januarias, in Virginis Deiparæ de *Gratia* sacello tumulatus.

Alexãder Caputus Ep. Mazar.

XLIX. *Alexander Caputus*, in patria Academia S. T. D. Carmelitarum instituti asseclа, ejusdemque Magister, Siculæ S. Alberti Provin-

ciæ

ciæ moderator anno MDCCXII, ac Cœnobii Catanensis pluries Rector, quod variis ornamentis, atque ædificiis instruxit. A Benedicto XIII. pro vitæ meritis Episcopus Thagastensis in partibus infidelium primum designatus, subindeque ad Mazarensem evectus cathedram anno MDCCXXXI. variis nominibus de ea meruit. Cœnobii sui Catanæ Templi structuram aliquot aureorum millibus impensis promovit, ac nisi morte præventus ad fastigium perduxisset; Corporis quippe exuvias XV. Kal: Martii Anno MDCCXLI. deposuit in propria basilica tumulatus. De eo Mongitorius Add. ad not. Eccl: Mazarensis. De Pontificibus hactenus Patria Catanensibus; Cives nunc Abbatiali munere, quod Pontificio proximum, insignes memorabimus.

I. *Pontius* Casinensis Monasterii Abbas à Bonifacio Rom: Pont: mense Junio, MCCXCVI. consecratus, *prædium apud Trojam Apuliæ Caroli II. Regis ope ab Trojanis Civibus recuperavit*, uti Scipionius in Elog. Abbat. Casin. scribit. Defunctus eodem anno, mensibus sex administravit. De eo Wion in Arbore Mon. *Pontius Casin. Abb.*

II. *Petrus* Celius ex Priore S. Leonis de Pannachio, & S. Nicolai de Arena, primus S. Mariæ de Licodia Abbas. Vir fuit omnium virtutum genere excultus, quem paucis commendavimus in notit: Monast: S. Nicolai, ubi ejusdem, & eorum, qui sequuntur, gesta consulenda. *Petrus Celius S. M. de Licodia Abbas*

III. *Rogerius de Bumbello* S. Agathæ alumnus, Licodiensis Abbas, regularis disciplinæ assertor, vitæ candore præcipuus. *Rogerius de Bumbello Ab.*

IV. *Petrus Ruffo*, sive *Rubeus*, nobilissima prosapia ortus, à morum integritate commendatus. Rexit utrumque Cœnobium Pannachium, nempe & Licodianum annis XXXVIII. Obiit senior. *Petrus Ruffo*

Bartho-

Bartholomæus de Musco. *Petrus de Marca, & Nicolaus Manna.* V. *Bartholomæus de Musco*. *Petrus de Marca*, qui Leonardi de Flisco Catanensis Pontificis vices summa gessit vigilantia, & *Nicolaus de Manna*. Hi ab anno MCCXCIV. ad MCCCXXVIII. ejusdem Cœnobii regimen tenuerunt, multisque nominibus sese commendarunt; an Catanam habuerint patriam incertum; ab hac serie nihilominus neutiquam excludendos eos putavimus, forte enim ex Monasterio S. Agathæ assumpti, nostrisque accenseri possunt.

Bartholomæus de Scalceato Abb. VI. *Bartholomæus de Scalceato* hujus nominis II. Licodiensis Abbas, Catane natales sortitus, Friderico Regi, ejusque uxori Eleonoræ ob vitæ merita acceptissimus, quorum subsidio, S. Nicolai de Arena Hospitalem Domum in Monasterium erexit; hinc titulum, nomenque deinceps celebris Abbatia obtinuit, quod adhuc hodie retinet. Anno MCCCLII. plenus dierum fato cessit.

Jacobus de Soris Ab. VII. *Jacobus de Soris*, qui vacante sede Catanensem Ecclesiam rexit, factusque Abbas, Licodiense Monasterium in eminentiorem, salubremque locum transtulit; ac rursus Gerardo Oddone Episcopo, Vicarii munus in patria obivit; postquam suis per annos viginti, & ultra præclarè consuluisset, senio, ac laboribus confectus supremum absolvit diem anno MCCCLXIII. Illum *spiritualium virtutum operatione probatum*. Author anonymus de Reedif. S. Martini appellavit; eruditione, prudentiâ, ac morum gravitate conspicuum Grossus in Decachordo prodit. Artalis Alagonæ nuntium quoque ad Regem gessisse lego.

Philippus Rizzari Abb. VIII. *Philippus Rizzarus*, generis nobilitate illustrissimus, Urbano V. Rom. Pont. probante, Abbas S. Mariæ de Licodia, & S. Nicolai de Arena, Friderico III. Siciliæ Regi summè charus. Ejus Monachi, Scipione Duce, ad reformandum

Sancti

Sancti Benedicti Casinense Cœnobium assumuntur, Urbani V. diplomate II. Nonas Septembr: MCCCLXIX. nec diu post, Gregorii Rom: etiam Pontificis rescripto, alii quoque Philippi Discipuli ad Montisregalis in Sicilia, & S. Pauli de Urbe Monasteria ad pristinum splendorem restituenda evocantur.

IX. *Albertus de Rocca*, Cœnobii S. Agathæ Monachus, patria Catanensis, S. Mariæ Maniacii Abbas salutatur anno MCCCLXVII. Friderico III. & ipse ob virtutem acceptus. Gessit Catanæ Martialis Episcopi aliquandiu vices, obiitque in suo Maniacensi Monasterio XXVI. regiminis anno, ætate, ac meritis cumulatus. *Jacobum* S. Agathæ ascetam, Maniacensem quoque Abbatem invenio anno MCCLIV, cujus natale solum incertum; Catanensibus idcirco accensere non audeo. Consule not: XIV. Monast. Sic. Hist.

Albertus de Rocca Abb.

Jacobus Maniacii Abb.

X. *Nicolaus de Rocca* Alberti Frater, & *Bartholomæus Rizzarus* Philippi nepos, uterque Licodiani, & Arenensis Monasterii Abbas vitę integritate, rebusque gestis clarissimus. Illos excepit *Placidus de Aquila*, quem certocertius Catanæ ortum non affirmo.

Nicolaus de Rocca, & Bartholomęus Rizzari.

Placidus de Aquila

XI. *Joannes* Cucullo, & patria Catanensis, primus, post Ambrosium Priorem, S. Mariæ Novælucis Abbas anno MCCCLXXXIII. constitutus; prçclaram eidem Monasterio operam navavit, meritisque onustus effulsit. De eo in Monast: Sicil: Hist: not: V.

Joannes Abbas Novalucis

XII. *Marinus de Guerrerio*, patritiæ stirpis germen, ex Monacho S. Nicolai Messanensis Cçnobii sub S. Placidi titulo anno MCCCLXXXIII. secundus Abbas, optimis moribus ornatus aliquandiu rem monasticam, pastoris eximii opinione administravit. Illum commendat Pirrus l.4.p.2.not.3.

Marius de Guerrerio Ab. Mess.

Joannes de Castellis Abb. XIII. *Joannes de Castellis* Martino, & Mariæ Siciliæ Regibus charus, atque ex eorum nominatione S. Mariæ de Scalis prope Paternionem, Benedictini Cœnobii Abbas. Præclarum genus eximiis virtutibus decoravit, rexitque ab anno MCCCXCI. ad XCIII.

Bartholomæus de Luna Ab. XIV. *Bartholomæus de Luna* ex Hispania citeriore oriundus, Catanæ natus, nobilissimi sanguinis claritatem virtutibus superavit; Abbas Sancti Nicolai, & Licodiæ creatus, Martini Regis gratiam promeruit. Hinc sacræ, vivificæ crucis frustro, ac pretiosissimo Clavi Dominici thesauro ab eodem munifico principe donatus, Cœnobium suum præ cæteris antecessoribus insigniter ditavit. Obiit anno MCCCCI. Post quem *Henricus de Montana* regimen assumpsit; Hujus tamen patria incerta. *Henricus Montana*

Guillelmus Novæluc. Abb. XV. *Guillelmus* S. Mariæ Novælucis Abbas, qui Romæ aliquandiu versatus, à Bonifacio IX, cui ob virtutem commendatus, rescriptum pro suo Monasterio obtinuit, pro firmanda unione Cœnobii de Nemore clauso sub Ætna, dudum ab Artale Alagona Fundatore, de licentia Catanensis Episcopi, facta. Rexit annos circiter XX.

Petrus Rizzarus Ab. XVI. *Petrus Rizzarus* ex satis nota prosapia, summa in rebus gerendis dexteritate, prudentiâ, lenitate, morumque honestate præditus, qui annos XL. Abbatiali munere in S. Nicolai de Arena laudabiliter functus, in senectute bona vivere desiit. Ejus gesta habes in nostra Monast: Sicil: Hist: not. VI. num. 16.

Andreas de Manuele Noaria Abb. XVII. *Andreas de Manuele* S. Agathæ Monachus, Romano Pontifice volente, Prior S. Mariæ Vallis Josaphat Paternionis, & S. Mariæ Magdalenæ Messanæ, mox S. Mariæ de Noaria Cistercienfis ordinis Abbas, Alphonsi Regis consensu X.

Kal.

Kal. Maji MCCCCXXVII. electus, quem idem Rex Virum probum, ac spectatæ virtutis, & scientiæ appellat; Præfuit ad multam senectutem.

XVIII. *Antonius Paternionius*, quem Scipio, & Joseph gentiles sui in m. s. Opere de Gente Paternionia, insignem eloquentia, rebusque gerendis aptum, atque in sacris literis peritia nulli secundum deprædicant, è Cœnobio Catanensi extractus, ad Abbatiam S. Philippi de Agyrio elatus, illam dignitatem egregiis facinoribus, atque inculpatæ vitæ exemplis illustravit. Successores habuit Jacobum, & Bernardinum, quos ad Melitæ præsulatum evectos paullo ante vidimus, rexitque usque ad annum MCCCCXXXIII. *Antonius Paternionius Agyrii Ab.*

XIX. *Riccardus Rizzarus* Abbas S. Mariæ de Scalis, de quo in Monast: Sicil: Hist: not: 6. *Jacobus Borellus*, qui eadem dignitate ornatus claruit, morumque innocentiâ, ac virtutis opinione præcessores suos longè superavit, in suo S. Agathę Cœnobio mortuus, ibidemque tumulatus. Ferunt ex ejus corpore, quod in sepulchro Canonicorum conditum, odoris fragantiam adhuc emanare, quæ præclarissimi ejus apud Deum meriti testis esse creditur. Post Borellum *Andreas Stizia* Alphonso Rege volente anno MCCCCXXXVI. Abbatiam assecutus, eidem per aliquot annos optimè præfuit. *Riccardus Rizzarus, & Jacobus Borellus.* *Andreas Stizia Ab.*

XX. *Jacobus Paternionius*, vulgo Jaymus hujus nominis secundus Agyrensis Abbas. Fuit Cistercienfibus institutis addictus, quumque adhuc ætate floreret, gradum illum ab Alphonso Rege obtinuit, Romano Pontifice, quo ad annorum defectum dispensationem indulgente, anno MCCCCXLIV. Hinc Pirri lapsum notabis, qui Jacobum nostrum tertio post anno Melitæ Præsulem dicit, ac mox defunctum, confunditque cum altero Jacobo, de *Jacobus Paternionius Ab.*

quo

quo superius. Hic egregiis facinoribus nomen sibi immortale peperit, pluribusque pro patria legationibus functus, illam insigniter demeruit; cujus cum laude meminimus in Monast: Sicil. Hist. not. XIII, & in Annalibus lib. 7. cap. 3. ubi diu, sede vacante, in Ecclesiæ Catanensi Vicarium egisse illum, quin etiam à Monachis in Episcopum adlectum, Fratres denique Albarum, & Joannem habuisse diximus, quorum sequenti Capite merita expendenda. Mortale exuit circa annum MCCCCLXXXV. aut paullo ante; Lucis enim usura fruebatur anno LXXXIV, quo datam ad eumdem Joan: Bapt: Cibo S. R. E. Cardin: qui fuit postea Innocentius VIII. Epistolam, in Appendice ad Monast: Histor: retulimus. De eo etiam Silvagius Colloq: cap. 44.

Jacobus Crisafulli Abb. XXI. *Jacobus Crisafulli* S. Mariæ de Scalis Abbas anno circiter MCCCCXLIV. Rexit summa prudentiæ laude, ac vitæ puritate, à cujus morte *Matthæus de Pompeo Abb.* *Matthæus de Pompeo* Catanensis Novælucis Abbas, ut Monasterium Scalense suo uniretur à Paulo II. Rom. Pontifice impetravit, Romæ VII. Idus Julii, MCCCCLXVIII. Hic etiam utrique Cœnobio præclarè consuluit, meritisque locuples, triginta & amplius annis in regimine emensis, mortem oppetiit anno circiter MCCCCLXXIV.

Thomas de Bonifacio Balneariæ Abb. XXII. *Thomas de Bonifacio* in S. Agathæ Cœnobio professus S. Benedicti regulam, eximiis meritis, ac doctrinæ præstantia adeo se commendavit, ut regius Familiaris, & Capellanus ab Alphonso adscisceretur. Abbas S. Mariæ de Balnearia in Calabria, & S. Luciæ de Neto in Sicilia renunciatus, variis ab eodem Rege favoribus, & gratiis affectus est. De eo in not: XII. Monast: Sicul. Hist. Obiit VIII. Idus Aprilis, MCCCCLXI.

Joan-

XXIII. *Joannes Baptista Platamonius* monastica in S. Nicolao de Arena amplexus instituta, generis nobilitatem virtutibus exornans, Prior primùm S. Gregorii de Platia, inde S. Mariæ Roboris Grossi, tandemque Cœnobii sui Abbas eligitur, de quo eximiè meruit. Post egregia facinora, pòst decentius ornatas S. Mariæ de Licodia, & Vallis Josaphat Ecclesias, duodecimo initæ dignitatis anno, Christi verò MCCCCLIX, mortalis esse desiit. *Jo: Bapt. Platamonius Ab.*

XXIV. *Ægidius Columna Romanus*, nobilis Catanensis S. Philippi de Agyrio Abbas primus *Commendatarius*, ut vocant, à Grosso dicitur post Jacobum Paternionium anno MCCCCLXXV; at quum Jacobus ad LXXXIV. superstes fuerit, uti superius vidimus, nec Abbatiam resignaverit, vix locum Ægidio inter Agyrenses Abbates assignare cum Grosso possumus, quamvis, de Jacobi ætate incerti, alibi in Monast: Historia eidem Authori morem gesserimus; At in Appendice subinde, nostrum de Ægidii Abbatia dubium candidè expendimus. An morte præreptus possessionem assequi haud potuit? Anno enim MCCCCLXXXV. ex Regiis literis Franciscum Ajutamichristo eadem dignitate insignitum habemus. *Ægidius Columna Abb.*

XXV. Anno MCCCCLXXXIII. Sicula Ordinis S. Benedicti Monasteria aliquot in unum Congregationis corpus coiverunt, quæ à *S. Nicolao de Arena* dicitur ab Wione Belga; Quorumdam hinc Abbatum nomina sub eadem Congregatione, hìc atteximus, qui tum in eodem S. Nicolai, tum in aliis Cœnobiis optimè rem monasticam administrarunt. *Eusebius Viperanus* primus in Congregatione Abbas; *Nicolaus de Sbarris* an. MCCCCLXXXV. *Gregorius Caracita* S. Mariæ de Fundrone Prior, inde S. Mariæ Engii veteris Abbas. *Antonius Rizzari*, *Abbates sub Sicula Bened.Cõgregatione*

zari, quartus ex hac illustri prosapia S. Nicolai Abbas; *Sebastianus de Asmundo* S. Placidi Messanæ Abbas; *Vitus Catanisius*, qui, & Præses Congregationis fuit, utque hæc Casinensi uniretur, impetravit. *Angelus de Bonjoanne* in ultimis Siculis Comitiis electus.

Carolus Moncata Ab. Calatanix. XXVI. *Carolus Moncata*, sive *Montecatinus* Catanæ nobilissimo genitore Antonio, Augustæ, & Calatanixectæ Comite satus, ex ejusdem præsentatione Abbas S. Spiritus Ordinis Canonicorum Sancti Augustini ejusdem opidi, ac Pontifice indulgente Romæ VI. Idus Januarii MDXVIII. quo ad natalium defectum, cui tamen dignitati nuntium post paucos menses remisit.

Thomas de Guerreriis Linguagrossæ Ab. XXVII. *Thomas de Guerreriis* Prior S. Veneræ, ac S. Catharinæ de Linguagrossa Abbas, alterius Thomæ de Guerreriis Scriptoris Apostolici ex fratre nepos, clarissimus inter Catanenses, ac Cœnobii S. Agathæ alumnus. Floruit anno MDXXIII, de quo Pirrus lib. 3.

Joannes Saffus, Hieronymus Gatta Ab. XXVIII. *Joannes Saffus*, & *Hieronymus Gatta*, S. Nicolai de Arena Monachi, sub Casinensi Congregatione Abbates, alter S. Mariæ Engii veteris, ubi anno MDXXVII. diem obiit; hic verò Cœnobii sui per biennium res moderatus, summa prudentiâ, ac morum puritate se commendavit, floruitque anno MDXXXII.

Guillelmus Ansalonius Castrileon. Ab. XXIX. *Guillelmus Ansalonius*, genere nobilis, patrii Monasterii Monachus, & Prior, SS. Trinitatis Castrileonis Abbas; Nicolao Caracciolo Catanensi Episcopo apud Turcas detento, Generalis Vicarius, & Ecclesiæ Administrator. Pluries pro Urbe nostra ad Proreges Legatus, ac de ea optimè meritus. Decessit dierum plenus IV. Nonas Junii MDLXXXII.

Joan-

XXX. *Joannes Platamonius*, Catanensis, summo loco natus, S. Mariæ de Crypta Ordinis S. Basilii Abbas, ut ajunt, *Commendatarius* an: MDXLVIII. post cujus obitum Collegio Societatis Jesu Panormitano Abbatia illa unitur, ex Pirro lib. 4. par. 1. pag. 558. Perperam Grossus in Decac: Joannem S. Mariæ de Terrana Abbatem dicit. *Joannes Platamonius Abb. Cryptæ.*

XXXI. *Camillus Paternionius* illustris prosapiæ germen, Clericali militiæ nomen dedit, ac variis in patria muniis inclaruit, S. Mariæ de Terrana Cisterciensis Ordinis Abbas, ut vocant, *Commendatarius*, Rege volente, creatus, aliquandiu Cœnobio illi præfuit. Anno MDLXVIII. vacante Catanensi Ecclesia, ejusdem Regis beneficio, Patriæ Pontifex designatur; sed fato immaturo præreptus dignitatem minimè obtinuit. *Camillus Paternionius Abb. Terranæ.*

XXXII. *Paulus Gravina* nobilissimis parentibus Catanæ in lucem prodiit, sextoque supra decimum ætatis anno, Domini verò MDXIII. S. Benedicti Regulam in patrio Monasterio professus est. Per omnes dignitatum gradus ad S. Pauli de Urbe Prioratum anno MDLXXV. assumptus, Abbas dehinc Castrivillarum, quum omni virtutum laude, atque in sacris literis peritia abunde commendaretur, ad reformandum S. Basilii per Calabriam, & Siciliam ordinem, Gregorii XIII. Rom. Pont. jussu delectus ejusdem Præses renunciatur, quo in munere gloriam sibi non vulgarem comparavit. Ex eo ad suorum regimen translatus integro quinquennio, sic disciplinæ regularis tenuit rigorem, ut Monachorum etiam sibi amorem conciliaverit. Obiit senex. De eo Grossus in Decach: Armellini in Bibl: Casin: & Petrus Ricordati, qui Paulum Theologicis disciplinis apprime instructum, musicisque eruditum prodit. *Paulus Gravina Abbas* *Ordin. S. Basilii Reformator*

XXXIII. *Joannem Raymundettum Sanmartino* *Joannes Raymund.*

tino Raymundi Præsidis filium anno MDLXXXVI. S. Mariæ Novælucis Abbatem egisse scribit Grossus in Decachordo; At per id tempus Nicolaus Stizia eam præfecturam tenebat, post quem Ascanius Columna MDXCI. successit. Joannem idcirco in Monastica Sicil: Histor: not. v. Novælucis Abbatibus minimè accensui; qui forte aliam dignitatem est assecutus, aut morte præventus, post Nicolaum Cœnobio illi præesse haud potuit, atque Ascanio locum cessit.

Romanus Jordanus, aliiq: Ab. S. Nicol. XXXIV. *Romanus Jordanus* Cucullo, & patria Catanensis, qui novam in suo Cœnobio Bibliothecam instruxit. *Paulus Gravina*, hujus nominis secundus, sanguine, doctrina, ac vitæ puritate illustris, de quo inferius; *Euphemianus Casagrande*, qui insigne è Ligustico marmore peristylium in eodem S. Nicolao curavit; *Gregorius Motta*, magnarum rerum promotor à Pirro in notit: S. Martini appellatus. *Seraphinus Ferrerius*, qui aliquot Sicula Monasteria, illudque S. Benedicti Militelli ab Joanna Austrica fundatum anno MDCXV. primus administravit. *Theodosius Masitius* S. Nicolai Catanæ, & S. Placidi Messanensis præfectura clarus. *Innocentius Russus* Catanensibus proceribus satus; *Franciscus Cajetanus* gente clarissima Catanæ, & ipse ortus. Omnes ejusdem S. Nicolai alumni, ac de eodem optimè meriti, Cassinensis Congregationis Abbates. De quibus in Mon: Sic: Hist: not: IV.

Marcus Antonius Pulvirenti Ab. Placæ. XXXV. *Marcus Antonius Pulvirenti* Decretorum Magister diu in Regia curia Matriti versatus, S. Salvatoris de Placa Basilensis Ordinis Abbas *Commendatarius*, doctrinâ clarus, auctis Cœnobii sui bonis, in patria mense Octobri MDCXXVI. piè decessit. De eo Pirrus, & Grossus. *Octavius Sapientia Ab. de Ficù* *Octavius Sapientia* Juris Pontificii Doctor, dum Roma in Siciliam

Siciliam navigaret in Turcas incidit, apud quos annis quinque servitutem servivit. Ab Galliæ Regis Oratore redemptus, eidem diu fuit à Confessionibus; studio interim juvandi, animasque lucrandi apud infideles clarus, ad necem conquisitus, in Hispanias evasit, ubi librum de moribus Turcarum scripsit. Philippo Regi ob morum, & doctrinæ præstantiam acceptus, S. Mariæ *de Fico* Abbatia, ordinis S. Basilii, donatus, in Siciliam rediit, ubi mortem invenit. De quo Pirrus, Grossus, & Mongitorius.

XXXVI. *Claudius Capunnettus*, vitæ innocentiâ, morumque integritate illustris, Abbas Sancti Nicolai; Obiit in patria anno MDCLXXII. quem inter insignes, atque à religiosa pietate commendatos viros nostri recensent. *Stephanus Lazarus* ortu, & Monachatu Catanensis, Abbas, charitate in pauperes, atque in Deiparam Virginem singulari cultu effulsit. Ætate grandęvus decessit in suo S. Nicolai Cęnobio anno MDCLXXX. *Joannes Santonocitus* honesto loco natus, Monregalensis Monasterii alumnus, & Casin: Congregationis Abbas floruit ad annum MDCXCVI. *Romualdus Rizzarus*, Catanensis, Josephi viri Patritii filius, integritate, religione, zelo, rerumque gerendarum peritia paucis comparandus, dum suum egregia cum laude administraret S. Nicolai Cœnobium, immaturo fato decessit, anno sæculi XVII. ultimo, IV. Kal: Januarii. *Ferdinandus Jocnius* originis clarissimæ, Patrii Monasterii Abbas, Monasticæ disciplinæ promotor, sæculo XVIII. ineunte senex obiit. *Benedictus Asmundus* nobili gente satus, Ignatii filius, Messanensis primùm Abbas, mox Militelli, ad suum S. Nicolai translatus, mira prudentiâ, mansuetudine, & solertia se probavit; in pauperes profusissimus, in divino cultu augendo præci-

Claudius Capunnettus Aliiq. Ab. Casinens.

puus, Catanæ moritur mense Apr. MDCCXII. *Joannes Baptista Rapisardus* Catanensis, egregię indolis, ac præstantissimi ingenii, Severinum ab Asculo Cavensem Abbatem secutus, qui anno MDCLXXV. S. Nicolai Cęnobium rexit, monasticisque disciplinis, ac severioribus scientiis ab eo imbutus, tantum profecit, ut procedente ætate, dignus haberetur, qui per omnes religionis gradus ad Cancellariam, mox verò ad dignitatem Abbatialem eveheretur. Eam porro, quum ad complures annos Cavæ, & alibi in Neapolitana provincia, summa animi moderatione, ac subditorum bono tenuisset, ut sibi, ac Deo viveret, sponte dimisit. Octogenario major anno MDCCXXXVI. pridie Kal. Februarii Cavæ ex hac vita migravit, suique desiderium reliquit. Consule de his omnibus nostras Monast: Notitias.

Nicolaus Riccioli Abb.

XXXVII. *Nicolaus Ricciolus*, & *Asmundus*, nobilis ortu, virtute, ac scientiis nobilior, Monasticè professus kal: Novembris MDCLI; in patria Academia S. Theol: Magisterio donatus, ejusdem mox facultatis publicus professor denunciatur. Majoris perfectionis studio Casinum contendens, inde in Poloniam, superioribus annuentibus, transmisit, ubi, uti & in proxima Lithuania, quatuor Ordinis Benedictini Monasteria fundavit, ac Clem: X. Rom: Pont: decreto, perpetuus Abbas Castricassini constitutus, præclarè de religiosa sua familia meruit. Catanam ætatis an: XLIII. aliquando venit, ut suos inviseret, paucosque post menses ad discipulos remeavit, inter quos meritorum manipulis plenus tandem anno Christi MDCXCIV. decessit. De eo inferius.

Carolus Massa Major Capell.

XXXVIII. *Carolus Massa* Christophori inter Finalenses nobilissimi filius, Catanam genitale solum recognoscit. Hic moribus incorruptis, nec

nec vulgari ſcientia ornatus, Patriam terræmotu MDCXCIII. quaſſatam, è cujus ruinis mirè evaſit, deferens, Panormum primo, ſubinde in Hiſpanias contendit, ubi brevì agnitus, inter Regios honorarios Capellanos adſcriptus, Carolo II; ac mox Philippo V, ejuſque uxori apprime charus evaſit. Eorumdem beneficentia, ex literis Matriti pridie Nonas Decembris MDCCII. ſignatis, Abbatia S. Luciæ de Mylis cohoneſtatus, & Capellanus Major in Sicilia creatus, ejuſdem poſſeſſionem iniit; Quumque de illo optimè expectarentur, ad ſuperos vocatus, ac ſedi ſuæ potius ereptus, quàm datus, morte immaturà Meſſanæ obiit; ibidemque in S. Dominici templo, cujus religionem, morte imminente, profeſſus eſt, ſepelitur, hac Epigraphe: *Illuſtriſſimus, Et Reverendiſſimus U. J. Et S. T. D. D. Carolus Maſſa, Honorarius Caroli. II, Et Philippi V. Sacerdos, Abbas, Idemque Civitati A S. Lucia Nuncupatæ Præſul Adſcitus, Hoc Sub Marmore Honorum Inſignibus Cum Mortali Sarcina Depoſitis, Unam Vitæ Integritatem Secum Aſportaturus, Ocyus Deceſſit, Die* XVI. *Decembris*, MDCCIV. *Ætatis* XXXI. *D. Euſebius Baro S. Gregorii Hoc Doloris*, Fraternique *Amoris M. P.*

Petrus Gravina Abbas

Petrus Gravina de Cruyllas Catanenſis Eccleſiæ Cantor, tum Prior, S. Philippi prope Mylas ex Regis præſentatione Abbas; Patriæ ſuæ Pontificum, ac vacante etiam ſede pluries Vicarius in pauperes beneficus, in ſuam Eccleſiam munificus, quam variis, ac pretioſis muneribus donavit, moribus denique incorruptis, obiit nonagenarius anno MDCCXL.

Illuſtres Viri Eccl. Dignit.

XXXIX Alii apud Groſſum Chorda IX. illuſtres memorantur Cives, Eccleſiaſticis dignitatibus, ac muniis inſigniti, quos hìc, nonnullis additis, recenſemus. *Henricus Ariſtippus* Catanenſis Archi-

Archidiaconus, de quo inferius. *Guidus de Sancta* Ordinis Minorum Magister, Petri II. Sicil: Regis ad Benedictum Rom. Pont: hujus nominis XII. Legatus, ut Siculos anathemate percussos sacris restituendos, ac Regiæ coronæ confirmationem pro eodem Petro exoraret, transmissus, cui sane muneri egregiè satisfecit, Pirro, & Wadigno testibus. *Joannes de Cutellis*, Martino Regi literarum merito pretiosus, Ecclesiastes, & Familiaris, anno MCCCXCIII. *Franciscus de Catania* Collegialis Ecclesiæ Canonicus, Alphonsi Regis Familiaris, & Concionator.

Gualtherius de Manfredo Ordinis S. Augustini, rerum usu præcipuus, ac sacris scientiis ornatus, Alphonso eidem à Secretis conscientiæ, S. Jacobi de Altopassu Prior anno MCCCCLVIII. De eo Pirrus.

Guillelmus de Guidone Carmeliticæ familiæ alumnus, & S. T. Magister emeritus, Ausiæ Spuis, de Podio S. R. E. Cardinali, & Archiepiscopo Monregalensi à virtute, & scientia acceptus, ad S. Benedicti ordinem, zelo ferventioris pietatis, Xisto IV. Rom. Pont. indulgente, in Montisregalis Monasterio transiit, ejusdemque mox Prior renunciari meruit. Cui dignitati nuntium remittens, ad suum S. Mariæ Annunciatæ Carmelitanum, Catanense Cœnobium rediit, ubi piis, sanctisque operibus intentus, XIX. Decembris MCCCCXCIV. dies clausit. De quo Tornamira, Pirrus, & alii.

Benedictus de Asmari Cathedralis Ecclesiæ Prior, Theologica scientiâ instructissimus, ac in Patria Academia ejusdem facultatis Magister, Regius Capellanus, ac familiaris, Ferdinando demum Catholico à sacris concionibus. Mundum reliquit III. Idus Maji MDXVII.

Joannes Guerrerius, Carolo V. Cæsari ob eloquentiam,

quentiam, ac pietatem commendatus, Regius Ecclesiastes, & Agrigentinus Decanus anno MDXXXI. *Thomas Guerrerius*, Patriæ Ecclesiæ primùm Decanatu insignitus, dehinc Cantor, & S. Gregorii de Platia Prior, Pauli III. Rom. Pont: Commensalis, Apostolicus Scriptor, ac demum Montis Pietatis ad pauperum solamen Catanæ fundator, & Author, anno MDXLV. *Joannes Baptista Paternionius* Catanensis Ecclesiæ Prior, totiusque Diœcesis Vicarius, ad Philibertum Sabaudiæ Principem Siciliæ Proregem pro urbe nostra Orator; è vivis tandem MDCXXXIII. ereptus. *Laurentius Simonetti* à Catana S. Nicolai de Arena Alumnus, Congregationis Casinensis Cancellarius (habet hic inter Abbates locum) Senex anno MDCXXXIV. vitam cum morte commutavit. *Thomas Paternionius Castellus* U. J. D. primus S. Josephi in Biscarensi opido Abbas, anno MDCXLIII. *Franciscus Amicus* Petri filius, Templi principis Cantor, mox Prior, S. Luciæ de Leontinis Abbas, semel, & iterum in Episcopali interregno, ac sub Innocentio Maximo Vicarius, totius denique Diœcesis Lustrator, aliisque muniis insignis, mortuus MDCLXVII. *Joannes Rizzarus* Josephi Ducis Triummysteriorum filius, Collegialis Ecclesiæ Præpositus, majoris Basilicæ Archidiaconus, Cantor subinde, & Prior, Catanensis Diœcesis anno MDCCXVIII. Apostolicus Vicarius, quo etiam munere sub variis Episcopis, ac sede vacante functus est; morum gravitate, peritia in rebus gerendis, aliisque virtutibus insignis. Vivit ad majora.

CIVES MILITIA, TOGIS, OBITISQUE SUPREMIS MUNERIBUS ILLUSTRES.

I. Complures militari sago præcipuos, qui prioribus sęculis floruerunt, alphabetico ordine Grossus Chorda ix. mod. xiii. enumerat; Sed illorum nomina, paucis exceptis, prorsus penes Historicos incognita. Proferam uti apud eumdem leguntur. *Arcentes Virgilii carmine commendatus*; *Arthemius imperterriti animi vir, militarium agminum Dux. Camestrius præliari fortitudine, vel ipsis hostibus admirabilis. Chriseus armis arma repellens, pacem bello servans inviolatam. Chrisostratus Victoriis clarus, militarium agminum præfectus. Chromius Gelonis Syracusiorum Regis gener.* Corrige Hieronis. *Probitate, ac fortitudine conspicuus, in Pythiis Victor Ætnęus promulgatus. Cocalus Catan. Civis, Accola, &* Rex. *Ginnus spectatæ in patriam fidei, quam ne violaret dentibus sibi linguam abscidit. Ginnophilus multis de hoste victoriis felicitatus. Glicbus triumphis gloriosus, numismate celeberrimus. Mamercbus accolatu, ac Domicilio Catan. bello, paceque togatus, domi, forisque clarissimus. Philander Meapsia navalis triremium classis primipilus. Philorbasius Scipioni Africano ex virtute pretiosus. Polichius de patria optimè meritus, pro qua mortem oppetere non dubitavit. Psillas vir ad stuporem fortis, ingenio promptus, & manu. Scorpillus Agonalium conflictu quinquies, & quadragies feliciter inito, absolutoque, sepulchrali etiam inscriptione celeberrimus.*

Veteres Viri Illustres

Seve-

Severus Agonotheta, *Zosimi filius*, *ludricis certaminibus commendatus*. *Sother ingenio*, *manu*, *vulnere*, *coronis tandem nobilissimus*. *Symethus* Rex, *à cujus nomine Symethus fluvius nomen accepit*. *Symmithrius*, *Phtiphones*, *&* *Phasanides patriæ libertatis vindices acerrimi*, *triumphalibus Arcu*, *&* *Inscriptione venerati*. *Thimbus Protagoræ filius*, *bellator strenuus*, *Glicho alibi à nobis laudato munere*, *&* *virtute per omnia compar*. *Tullius* Flaminius *domi*, *forisque clarissimus*, *sepulchrali inscriptione Scaligero*, *&* *Gualtherio probatus*. Huc usque Grossus in edita Chordæ IX. Idea; in m. s. verò eadem repetit, firmatque ex Epistolis Diodori, quarum fides sublesta, ex lapidibus ab Archangelo relatis, de quibus judicium tulimus. Nos certiora dabimus, Virosque illustres à Militia, Togis, publicisque muneribus recensendo, Regum seriem, sub quibus claruere, servabimus.

SUB NORTHMANNIS.

I. HEnricus *Aristippus*, Catanensis Archidiaconus, Græcis, & Latinis literis satis eruditus, quem Guillelmus primus, Siciliæ Rex familiarem sibi delegit, ut Majonis loco, vicem, & officium Admirati interea gereret, præessetque Notariis, & cum eo de Regni negotiis pertractaret, uti Fazellus habet Decad: 2. lib: 7. cap. 4. De eo fuse nos lib: V. cap. 2. num. 3. *Henricus Aristippus*

II. *Constantinus Paternionius*, Roberti filius, Bucherii, & Partanæ Comes, Egregius Miles, quod ex ejusdem sepulchrali epitaphio discimus lib. IX. exscripto cap. IX. num. V. Hunc præclarissimæ gentis Paternioniæ in Sicilia caput prodit Grossus, in Decachor: eique Robertum successisse, credit *Constantinus Paternionius.*

sed

sed ex variis monumentis, citato lib. IX; Robertum potius cum Rogerio Comite in Siciliam primùm transmisisse conjectavimus, eique in Saracenorum expulsione strenuam navasse operam, cujus inhęrens vestigiis Constantinus militari etiam gloria clarus, anno MCLXVIII. è vivis abiit nobili epigraphe ab uxore Mathilde honoratus. *Constantino de Paternione, Militi, Viro Armis egregio, Bucherii, & Partanæ Comiti, Roberti filio, Mathildis Uxor męstissima Posuit Die* VIII. *Aprilis Anno* MCLXVIII.

SUB SUEVIS, & GALLIS.

Henricus de Asmari I. HEnricus *Asmari*, de quo hæc habet Grossus: *Henricus Asmari Helenæ Manfredi Siciliç Regis uxoris ab aula primùm, tum laudati Manfredi personalis Præsidii Præfectus*. Alia viri hujus facinora nos latent.

Joannes Prochytas II. *Joannes Prochytas* Insulæ Prochytæ Dominus. Floruit hic postremis Suevorum Principum temporibus, ac sub Carolo Andegavii Duce, Siciliæ Rege. Manfredi enim studiosissimum appellat Fazellus; (*a*) injuriosque Caroli Ministros, quum habuisset, celebre de Gallorum expulsione è Sicilia facinus aggressus, eorum cędis vulgo author dicitur. Conjurasse Joannem cum aliquot Siculis Proceribus contra Gallos, atq; ad Michaelem Palęogolum pro suppetiis, ad Nicolaum Pontificem, ad Petrum denique Aragonium, veste dissimulata, trāsmisisse Siculi produnt Annales; quod tertium verò diem, Resurgenti Domino festum, Gallorum excidio suis condixerit, inter vulgi opiniones referunt. Eo sane die Panormi contra Gallos sęvitum, indeque initium cędis subsecutæ per Insulam

(a) Dec.2.l.8 cap.4

Insulam universam sumptum; unde celebris apud historicos *Vesper Siculus*. Ceterum Joannes noster Petro inter primos acceptissimus, Regni Cancellarius evasit. Subinde Constantiam Reginam secutus, illi aliquando adhæsit; In Siciliam demum rediit, & Catanæ mortale deposuit in Fratrum Prædicatorum Templo sepultus. Sunt, qui Prochytam Siculum fuisse negant, & Catanensem. Sed Prochytæ Catana oriundos sese gloriantur, ac prædicant, ut in suo Theatro Mugnos affirmat. (a)

(a) Lib. 1. pag. 152.

III. *Guilelmus Tropia* Catanensis Messanæ Strategus anno MCCX. cujus purum nomen, ac magistratum novimus. *Guillelmus Tropia.*

SUB ARAGONENSIBUS.

I. BLascus de Alagona, Blasci, qui Petrum hujus nominis primum in Siciliam secutus, eidem operam suam probavit, filius, & hæres, Regni Magister Justitiarius, post multa præclarè gesta, quæ in Annalibus lib. 5. perstrinximus, Ludovici Regis, à morte Joannis Ducis Randaciensis, Baylus constitutus, invicta animi fortitudine, prudentia, consilio, iniquissimis temporibus Rempublicam administravit, variaque fortuna contra Palicios, & Claromontanos aliquandiu pugnans, Regi eidem semper addictissimus, illum strenuè contra rebelles proceres tutatus est; quo mortuo, & ipse quarto post die fato functus vicesimo nempe mensis Octobr. anno MCCCLV. in S. Mariæ de Annunciata Carmelitarum ęde conditur, quamvis Fazellus in maximo templo sepulturæ traditum affirmet. Sane quum ingruente Gallorum Bello, anno MDCLXXI. Anellus Gusmanus Siciliæ Prorex Catanam urbem muniendam præcepisset, cuniculosque circa Cœ- *Blascus Alagona*

nobium Carmelitanum dispositos vellet, ac ne id fieret, Imperialia Constantiæ Insignia templo appicta Fratres objecissent, respondit Anellus: Vereri se magis Blasci Alagonæ sepulchrum, ac cineres, subindeque ne opus procederet, imperavit. Reliquit Blascus *Artalem* Mistrectæ Comitem, *Blascum* Montis-Albani, & Joannem *Nesi* Dominum filios. Videsis Fazellum lib. 9. Dec. 2. cap. 4. & 5.

Artalis Alagona

II. *Artalis de Alagona*, Mistrectæ Comes, Regni Magister Justitiarius, animi præstans, viribus insignis, corpore procerus ab humere sursum ceteros eminens, primos militiæ honores sub Ludovico emeritus, Friderici itidem Regis partes strenuè contra Claromontanos substinuit, in Annalibus idcirco Siculis celeberrimus. Mariam ejusdem Friderici filiam è sacro fonte suscepit, eique post Patris mortem Tutor adscitus, ac Regni totius Vicarius, aliquandiu summa prudentiæ laude, publicæ administrationi vacavit. Martino primo, qui Mariam sibi desponderat, subinde infensus, proscriptus, ac exul, in pristinum tandem gradum restituitur. Catanæ summum obiisse diem Artalem passim nostri tradunt, ac in Patris sepulchro conditum in S. Mariæ Annunciatæ templo, nec desunt, qui in S. Mariæ Novælucis ab eodem fundato depositum affirmant. Artalis præclara facinora Fazellus Dec. 2. lib. 9. capite 6. & 7. expendit. Consulendi etiam Annales nostri lib. 5.

Fortis Tedeschius

III. *Fortis Tedeschius*, Justæ filius, Catanensis Eques, Martino Lopetio Comes additus, jussu Jacobi Regis, contra Gallos Catanam obsidentes agmen suorum duxit, hostesque fugavit. Ab eodem Rege Acis præfectura donatus, circa annum MCCLXXXVII. Memoratur etiam *Riccardus Platamonius*, qui anno MCCCXVII. Messanæ Strategum egit, cujus purum extat nomen.

IV. *Joannes Theutonicus* vulgo *Tedeschius* Reginæ Elisabethæ Petri II. Regis uxori ab Eleemosinis, eidemque Petro acceptissimus variis ab eo muneribus auctus, filios habuit Verardum, Mathildem, & Thomasiam paternæ ditionis hæredes.

V. *Nicolaus Lauria* Rogerii illius celeberrimi Talassiarchæ nepos, ac bonorum hæres, una cum Nicolao Speciali anno MCCCXXXIV. ad Benedictum XII. Rom. Pont: Legatus à Friderico Rege missus, ut Maurolycus, Bonfilius, aliique testantur; de cujus infelici exitu hæc habet Fazellus: *Sub idem tempus*, anno scilicet MCCCXLIX, *Nicolaus Lauria, Guilelmus Montecatinus, & Gosfredus de Fimecca Catanenses Milites cum Rhegium ad Nicolai ipsius cum Abbatis Nicolai filia nuptias navigio trajecissent in reditu à Constantino, & pluribus aliis Paliciorum studiosis duabus cum triremibus invasi, omnes intercepti sunt, præter Nicolaum, qui in mare se submersit. Cujus deinde corpus è fluctibus extractum, & per Messanæ urbis vias, ex equi cauda, ad ludibrium circumquaq: protractum, ad extremum, concrematum est.* *Nicolaus Lauria.*

VI. *Joannes Celsa* Ludovici Regis Camerarius, quo etiam munere Friderico III. obsecutus, Pardi feudo ex virtute donatur. Ita Grossus, qui malè anno MCCCXXX. Joannem claruisse scribit; Ludovicus enim post annum MCCCXLVII. regalia suscepit insignia; Quem Fridericus frater excepit. *Joannes Celsa*

VII. *Rogerius de Asmari*, Miles Regius, Messanæ Strategus, anno MCCCLXXXVII. Petro Regi, ac successoribus apprime charus, à Martino demum I. agro *Scili* apud Calatajeronem donatur anno MCCCXCVII. Vide Grossum chor. 9. *Rogerius de Asmari*

VIII. *Guillelmus de Asmari* maximæ apud Petrum eumdem opinionis, quem anno MCCCXCIV. *Guillelmus de Asmari*

Magi-

Magistrum Justitiarium, Grossus dicit; Verum anno MCCCXCIX. Nicolai Peraltæ vices illum gessisse lego.

Guillelmus Brancifortius.

IX. *Guillelmus Brancifortius* Placentia oriundus, accolatu Catanensis, militia, opibus, sed pietate inprimis insignis, in æde S. Mariæ Grandis Ordin: Prædicatorum Catanæ tumulatus anno MCCCXLVII. Joan: Bapt: Grosso teste, qui ab eo Gentem Brancifortiam primis hodie Dynastiis insignem, originem in Sicilia deduxisse scribit.

Berlingherius Cruyllas

X. *Berlingherius Coriglies*, sive *Cruyllas* pacis, bellique artibus clarus, Martini Regis Camerarius, magnus Siciliæ Talassiarcha, multis ab eodem Principe affectus muneribus, opidisque Calatabiano, & Paliconia donatus. Illum laudant Mugnos in Theat: lib.3. Grossus in Decach. chor.9.

Gilbertus Cruyllas

XI. *Gilbertus Coriglies*, non vulgaribus meritis apud Aragonenses, Siculosque Principes commendatus, contra Joannem Galeatium Medionali Ducem classe dimicans, eumdem fugavit, uti idem Grossus locis laudatis scribit.

Blascus Scammacca

XII. *Blascus Scammacca*, Catanensis Eques, Mariæ Reginæ acceptus, ubi hanc cum Martino conjuge Drepanum appulisse intellexit, eò contendens, fidem illis obtestatus, inter Regios Familiares cooptari meruit, regiumque favorem variis obsequiis sibi conciliavit; hinc *Murgi*, & *Gattaini* agros amplissimos, vulgo *Feuda*, aliaque bona in prestitę servitutis prȩmium à Martino II. subinde obtinuit, uti ex Regio diplomate VIII. Septembris MCCCCIX. Barcinone signato liquet. De eo Grossus in Decach.

Conradus Castellus

XIII. *Conradus de Castello*. (Gens hęc sub Northmannis clarissima dicitur à Doglionio Theat. Princ: tom. 1. Par. 4.) Friderico III, & Martino I. Regibus à fide, ac fortitudine pretiosus, Regii

gii Militis, Consiliarii, & Familiaris titulo honoratus, Vallisque Neti Vicarius ex diplomate x. Februarii MCCCXCVII. adscitus; variis demum bonis ob prestitum famulatum, fidemque custoditam locupletatus, sexagenario major humana deseruit in S. Mariæ Annunciatæ, ejusdemque Virginis, & Matris Sacello marmoreo conditus tumulo. Conradi Pater *Franciscus* Friderico Regi II. & ipse militans, quum patriam à Gallis occupatam Principi suo restituendam contenderet, gloriosam obivit mortem anno MCCCXLIV. *Franciscus Castellus.*

XIV. *Joannes Paternionius* Martino Regi à Consiliis, ejusdemque favore anno MCCCXCIII. Neti, ac mox post biennium Syracusarum, & adjacentium Generalis Vicarius, ad munimenta per meridionalem Insulæ oram invisenda, homagiumque ab arcium præfectis repetendum, supremos demum iis in locis administros creandos, constitutus, quo in munere conceptam de se opinionem superavit; Anno MCCCXCVII. Regalis Patrimonii Regens factus, ut abusus in id tribunal irreptos reformaret, subindeque in eodem gradu die XI. Septembris MCCCXCIX. perpetuò confirmatus, dexteritate, prudentia, summaque fide sese commendavit. De Joanne, Scipio, & Josephus Paternionii in Elogiis Virorum Gentis suæ Illustrium, Grossus, &c. *Joannes Paternionius.*

XV. *Benedictus Paternionius* Joannis filius, ejusdem Martini Regis ad Romanum Pontificem, unà cum aliis Siculis Proceribus, ac Messanensi Archiepiscopo Legatus, uti ex Regia Epistola ad hunc Antistitem sub die XXIX. Octobris MCCCXCIII. eruimus, in qua *Domini Papæ Thesaurarius* Benedictus appellatur; quo etiam Nuncii munere sub Alphonso ad Bonifacium IX, & Alexandrum V. functus est, ut habet Basilis in Report: Illum commendant Scipio, & Josephus laudati. *Benedictus Paternionius.*

Raynaldus Tedeschius. XVI. *Raynaldus Tedeschius* sub Friderico III, & Martino I. clarus, compluribus bonis, ob seduli famulatus obsequia, ab iisdem donatus, prefecturisque adhibitus, Regii demum Stabuli Magister, anno MCCCCII. renunciatus, gentis suæ gloriam auxit. De quo Carrera in lib. 1. de Familia Tedeschia cap. 7. cum laude scribit, & Grossus, qui Cancellarii vices Raynaldum egisse tradit, eruitque ex Martini diplomate anno MCCCCI. pro Cœnobio Carmelitarum Catanensi, de Cereo quotannis ex Reg: Curiæ juribus percipiendo, ubi Raynaldus Regni Vice-Cancellarius subscribit. Consule Ann: lib: VI. cap. VIII. num. 18.

Jacobus de Gravina. XVII. *Jacobus de Gravina*, Pini, qui sub Martino Catanæ floruit, ædesque sibi, ac suis magnificas extruxit, ut Epigraphe docebat, filius, eidem Regi à Secretis, ut diplomate constat IV. Kal. Junii MCCCCIII. cingulo militari, bonisque, & castris auctus, ob præstitam illi contra Sardos egregiam in bello operam ex Regiis literis Agrigenti XVI. Februar. MCCCCX. Blanchæ mox Regni Vicariæ acceptus, ab eaque compluribus etiam beneficiis, & honoribus donatus, cum facultate publicas noxiorum custodias in patria detinendi; Supremis Magistratibus Panormi summa cum laude gestis, Regii Consiliarii, & Rationum Magistri munere sub Alphonso egregiè administrato, dierum, atque honorum plenus summum diem obiit. De quo Baronius de Majest: Panorm: lib. 3. cap. 11. & Grossus chor. 9.

Bartholomæus Joenius. XVIII. *Bartholomæus Joenius* Perronis Regni Siciliæ Protonotarii filius. Hunc adhuc annis juvenem, sed virili maturitate præditum Fridericus III. feudis, & opidis, aliisque beneficiis prosecutus, Consiliarium, & familiarem, necnon à rationibus Magistrum sibi constituit; Martinus verò in diplo-

diplomate, quo illi eadem bona, ac dignitates confirmat Leontinis pridie Kal: Octobris MCCCXCII. hisce laudibus exornat: *Nobilis Bartholomęus de Juenio, Civis Catanæ, Miles, Consiliarius, Familiaris, & Fidelis noster ab annis suæ tenerę juventutis Nobis, & Prædecessoribus nostris grandia, & utilia servitia exhibuit, & fecit. Fideliter, & indefessò; & specialiter in recuperatione nostri Regni Siciliæ à nonnullis dicti nostri Regni Baronibus, quasi pro majori parte, ausu temerario, & manu tyrannica occupati, pro nostris servitio, commodo, & honore, studioso ingenio se constituit, & bellicosis gestibus insudavit*. Eadem habet, & inculcat in aliis Privilegiis, ac illo præsertim de anno MCCCXCVII. ubi Cancellarium Regni Bartholomęum renunciat, ac *Militem, virum ætatè maturum, in armis strenuum, in consiliis probum, & in aliis quibuscumque negotiis veracem, circumspectum, fidelem, sincerum, & devotum* appellat. Fuit Aydonis, Noariæ, & Castrileonis Baro, ac Platiæ sub Blancha Vicaria Præfectus, quam Urbem in officio, & fide contra Bernardi Caprer æ ausus continuit, ut ejusdem Blanchæ literis constat Catanæ XVII. Aprilis MCCCCXII. signatis. Idem denique jam senex Alphonso Regi operam suam probavit, atque *cum copioso armatorum numero, & comitatu* strenuè, & fideliter eidem Neapolis Regnum sibi vindicanti adstitit; aureis unciis centum idcirco à munifico Principe quotannis donatus, uti ex diplomate in Castronovo Neapolis pridie kal. Januarias MCCCCXXI. Decessit devecta jam ætate inter suos.

XIX. *Perronus Joenius* Bartholomęi filius, Aydonis Dynasta contra rebelles sub Blancha Regina agmen duxit; ab ea supremus Militiæ Pręfectus constitutus, cum omnimoda pro suo arbitrio *Perronus Joenius*

trio bellum gerendi potestate, quampluribus idcirco fidelitatis officiis sibi demeruit, ut ipsa suis literis Platiæ kal: Octobris MCCCCXI. scriptis testatur. Uxorem habuit Joannam Aragoniam Guillelmi Ducis filiam, qui natus ex Friderico *III*, sed illegitimo thoro; Hujus Joannæ aviæ jure Bartholomęus IV. anno MCCCCLXXXVI. à Ferdinando Rege facultatem, arma, atque insignia Regia deferendi impetravit, ut ejusdem Regis Ferdinandi diplomate Cordubę, signato V. Idus Majas clarissimè evincitur. Fatis concessit Perronus Catanæ sub extremis Alphonsi Regis annis.

Henricus Statella Celebres denique sub Aragonensibus accensentur *Henricus Statella* Mongiolini Baro, Martini Regis ad Navarræ Infantem Legatus, Triremium supremus Præfectus, ac militiæ in Regno Neapolitano, Alphonso Principe, summus Dux. *Nicolaus Paternionius.* *Nicolaus Paternionius* Regius Familiaris, qui ad Martinum Regem Patriæ Legatum gessit. Fuit idem sub Alphonso Regius Catanæ *Secretus*, uti suo loco diximus, ac filium habuit Gualtherium. *Andreas de Piscibus* *Nicolaus de Piscibus* an: MCCCXCIV. Regii Patrimonii Fisci Patronus, Simonis Sardiniæ Proregis, & Joannis Catanensis Episcopi frater; Aliique, quos passim in Annalibus laudavimus.



SUB

SUB CASTELLANIS ARAGONIÆ REGIBUS.

I. ADamus Sismundus, sive Asmundus, generis sui inclytum decus, sub Ferdinando VII. Siciliæ, & Aragoniæ Rege variis primùm muniis effulsit. Alphonso dehinc adeo se probavit, ut nil princeps optimus haberet antiquius, quam Adami consilio Regni negotia expedire. Magnæ Regiæ Curiæ collegio cooptatus, necnon à Regiis etiam rationibus, totius denique Insulæ anno MCCCCXXVII. & sequenti, rursusque MCCCCXXXVI, & XLVIII. Præses adscitus, summa prudentiâ, æquitate, atque incolarum bono provinciam gessit. Post varia demum præclara gesta, auctis suorum fortunis, ex humanis exemptus immortalem sui memoriam posteris reliquit. De eo Anton: Amicus, Auria, Grossus, Pirrus, aliique, & Nos in Annalibus. *Adamus Asmundus*

II. *Joannes Baptista Platamonius* Bernardi filius, adolescens aquis maris penè absortus mire liberatur. Bononiam ad literarum studia missus magistralem ibi lauream obtinuit, optimaque cum fruge in Patriam rediens, primariis statim Regni muniis admotus, Regii Fisci Patronus, Alphonso Rege volente, renunciatus, à consiliis mox, indeque à Secretis eidem fuit. In Mag. Reg. Curiæ subsellio, vita comite, assidere jussus, ad Romanum Pontificem, Joannam Neapolis Reginam, aliosque Italiæ Principes ejusdem Regis Legatus, rebus, quas in commissis habuerat, feliciter absolutis, præclarissimè de universa Republica meruit. Hinc post Rogerium Parutam anno MCCCCXXXVI. unà cum Adamo Asmundo cive, aliisque Dynastis toti Insulæ præfuit ad triennium, ac rursus an- *Joan. Bapt. Platamone*

no MCCCCXL. cum Gilberto Centelles Colisani Comite supremam eamdem præfecturam summa cum laude administravit. De eo illud celebratur, quod Acis opidum (id sui juris erat) divendidit, ut ex conflata pecunia ejusdem Alphonsi Regis, æris penuriâ laborantis, necessitatibus succurreret. Obiit plenus dierum circa annum MCCCCXLVIII. Laudant illum Anton. Amicus, Auria, Grossus, Pirrus, Fazellus, aliique.

Andreas de Castello

III. *Andreas de Castello* sub Martino, & Ferdinando Regibus militiam à teneris annis sequutus, animi virtute, ac prudentia excelluit, primosque honores meruit. Orator pro Regno universo unà cum Simone Bononio Archiepiscopo Panormitano, Friderico Abbatellio Cameratæ Comite, & Antonio Barresio ad Alphonsum Regem destinatus, huic summè acceptus ob eximias dotes evasit. Hinc in Regium Consiliarium, & Ærarii Magistrum primo adscitus, supremus demum Palatii præfectus effulsit, cui quidem muneri egregiè satisfecit. Fratrem habuit *Antonium de Castello*, qui anno MCCCCXXVI. Messanæ Strategus, Alphonsi Regis Aulicus, & familiaris evasit, pluribusque titulis se commendavit. Laudant utrumque Grossus Decach: Chor. IX. & Basilis in Repert.

Antonius de Castello

Andreas Inguardiola.

IV. *Andreas Inguardiola*, nobilissimus inter Catanenses, anno MCCCCXVIII. Regni Siciliæ Quæstor, vulgo Thesaurarius; filium habuit *Aloysium* ob sua, & Patris merita Alphonso Regi apprime charum, cujus munificentia variis bonis, & divitiis affectus, diu inter Siculos Proceres claruit. Ex eodem Grosso in Decach: & Basili in Repert.

Franciscus Statella

V. *Franciscus Statella* militari sago illustris, ac bellica virtute insignis in Alphonsi Regis castris diu stipendia meruit. Ab Joanne Alphonsi fratre, & successore Roccellæ dominatum obtinuit,

ac

ac Ferdinandi Principis *Majordomus* effulsit, à quo Regni Siciliæ magnus Senescalcus, sive Regiæ mensæ structor, & Cataloniæ subinde Prorex adscitus, Arcis insuper Catanensis, vulgo *Ursinę*, ob repressam apud Gironam rebellium audaciam, qui Reginam captivam detinebant, perpetua præfectura est donatus. Statella gens ex Gallia originem recognoscit, ac primum in Sicilia *Accursium* ex Ducibus Burgundiæ, Comitibus Statel oriundum propagatorem habuit. Accursii filius *Henricus* Castaniæ, & Liminæ Dominus, necnon jure Uxoris Constantiæ, Joannis Infantis filiæ, Raudatii, Francavillæ, & Castrileonis Comes; Hujus verò *Accursius* II. Antoniæ Reginæ *Majordomus*. Ex eo *Henricus* II, de quo paullo superius, Francisci Pater.

VI. *Joannes Agoretta*, summo loco natus, fidei obsequiis, ac militari fortitudine Alphonsi Regis sibi gratiam conciliavit. Cingulo idcirco ab eodem muneratus, Regii Consiliarii, & Supremi Siciliæ Quæstoris gradum anno MCCCCXXV. summa integritate, ac prudentiâ substinuit. Filios habuit Gasparem, Antonellam, & Blandinam ex Raymundetta Centella uxore, quos ne dum divitiarum, ac bonorum, sed virtutum hæredes reliquit. Consule Grossum in Decach. *Joannes Agoretta*

VII. *Galeottus Bardassinus*, proceræ staturæ, ingentis fortitudinis, animique imperterriti vir, de quo mira enarrantur à Silvagio in Colloq: cap. 44. Enea Silvio Piccolomineo in sua Europa, Surita tom: 2: Ann. Arag. cap. 52. & Fazello dec. 1. lib. 3. cap. 5. Anno MCCCCXII. apud eumdem Suritam Berlingherium de Bardaxi Hispanum nobilissimum, Arcis Acensis à Ferdinando I. præfectum constitutum lego, cujus fortasse filius Galeottus. Cum hoc porro nemo congredi ausus est, *Galeottus Bardaxi*

quotquot

quotquot autem ipsum provocarunt, devicti, ac prostrati dicuntur. In Alphonsi aula aliquandiu vixit, inde sub Duce Mediolanensi militavit; In Gallias, aliasque Europæ regiones devectus, illas sui nominis famâ implevit; in Siciliam tandem reversus, Messanæ mortale exuit in S. Mariæ de Jesu sepulturæ mandatus. Malè Silvagius, & Grossus de Valdexi appellant, perperam quoque Joseph Bonfilius Messanensem dicit; etsi Galeotti progenies, filiique Messanæ post ejus mortem fixerint sedem, ibique diu inter Dynastas floruerint.

Petrus Celestis. VIII. *Petrus Celestis*, Regius Miles sub Martino I, cujus successoribus Martino II, & Ferdinando suam probavit fidem, ab hoc Principe idcirco *Magnifici* titulo honoratus, pluribusque beneficiis affectus. Obiit Catanæ. Illum commendat Grossus in Decach: & in Notitia Gentis Celestis m. s. Claruit etiam alter *Petrus Celestis*, secundus id circo vocatus anno MCCCCLVIII. qui Messanæ Strategus de eadem urbe, ac Regibus Alphonso, & Joanne optimè meruit.

Goffredus Rizzarus IX. *Goffredus Rizzarus*, Juris Consultissimus, Alphonso Regi à Consiliis, *qui utebatur memoria pro codicibus*, uti Silvagius in Colloq: cap. 44. scribit, qui illum *Juffrè de Richulis* appellat. Huic ex eodem Silvagio frater fuit *Joannes doctrinâ, & eloquentiâ præcipuus, qui Ritum* (Catanæ fortasse) *condidit*; de quo infra.

Joannes Abbatellus X. *Joannes de Abbatellis*, Catanensis eques, ex Comitibus Cameratæ, à muniis prudenter obitis commendatus, totius Regni Preses anno MCCCCXLIX. Magister Secretus, sive Regis Procurator; ad Alphonsum pro arduis Insulæ negotiis anno MCCCCLI. Legatus. De eo Grossus in Decach.

Joannes Tedeschius XI. *Joannes Tedeschius* Antonii filius, Juris consultus celeberrimus, variis administrationibus clarus,

clarus, quartus M. R. C. Judex anno MCCCCXXXVI: ſubindeque Magiſtri Juſtitiarii Locum tenens ex Regiis literis Neapoli XXVI. Octobris MCCCCXL. ſignatis. Quem Alphonſus ſæpiſſimè commendat, quod ingentes auri ſummas in publici ærarii preſſura mutuo ab ipſo acceperit, quas eidem rependere præcipit. Deceſſit anno MCCCCLIII. *Panfilio* ex ſe, & Eleonora uxore progenito, quem Salinarum Ennenſium Baronem hæredem inſtitutum, atque à Ferdinando poſtmodum Rege Cingulo militari decoratum lego. Videſis Groſſum in Decach: & Carreram lib. 3. cap. 6. de Famil: Tedeſ: apud quem *Andream* quoque obitis muneribus, Meſſanenſis Strategi, Armorum Ducis, Randatii, Agrigenti, ac Melitæ inſulæ Præfecti, inſignem; de Patria denique, cujus apud Proregem Legatum geſſit, optimè meritum invenio, Joannis Fratrem, nec non Jacobi Meſſanenſis Archiepiſcopi, de quo ſuo loco diximus. *Andreas Tedeſchius.*

XII. *Gutterres de Nava* Catanenſis, Reginalis Cameræ in Sicilia Gubernator anno MCCCCXLI. cujus purum nomen apud Groſſum in Decachordo habemus. *Ludovicus de Angelo* Regi Alphonſo à Cubiculo anno MCCCCXXIII. *Joannes Geſualdus* Mariæ ejuſdem Regis uxori à Secretis, compluribus beneficiis ab eadem, & ab Alphonſo, ob præſtita ſervitia affectus. *Joannes Vitillinus* Regius & ipſe miles, Alphonſo à conſiliis, Regalium rationum Magiſter, Regię Cancellariæ Logotheta, Jurium malè ablatorum pro redimendis captivis Chriſtianis generalis Collector anno MCCCCXX. Hos omnes idem Groſſus commendat, nec non Baſilis in *Repertorio*. *Gutterres de Nava.* *Aliique.*

XIII. *Gualtherius Paternionius* ab ampliſſima ſtirpe, fide, doctrinâ, & obſequiis Ferdinando Regi, ejuſque filio Alphonſo pretioſus, exantla- *Gualtherius Paternionius.*

tisque pro republica laboribus clarus, post obitam summa cum laude apud Martinum V. Rom. Pont. Regis nomine legationem, Regni Logotheta ex literis Kal. Augusti MCCCCXXII. renunciatur; mox inter M. C. Senatores, & Regios Consiliarios perpetuò adscitus, atque à Conscriptis Patrię Patribus Orator ad eumdem Principem omnimoda cum facultate constitutus, egregiè industriam, operamque suam probavit; quin etiam in Castris apud Surrentum, & alibi Alphonso adstitit, à cujus numquam deinceps latere discessit. Humanis valedixit anno MCCCCXXXI. Illum laudant Grossus in Decach: Mongitorius in Bibliotheca tom. I. Ragusia, Pirrus.

Joannes de Taranto

XIV. *Joannes de Taranto* clarissimis parentibus Catanæ satus, anno MCCCCXXXV. Siciliæ Logotheta. Effulsit Castaniæ dominatu, uxoremque habuit Catharinam de Vigintimilliis *Thomæ* filiam. Hunc porro Thomam Regni Camerlengum Grossus in Decach: Chor: IX. m. f. Catanensem facit.

Raymundus Montecatinus.

XV. *Raymundus Montecatinus*, sive *Moncada* ex Regni Proceribus, Calatanixectæ Comes, Alphonsi Regis Scriba, vulgo Cancellarius anno MCCCCXLV, nec non Regni Siciliæ Camerarius; Vir pacis, ac belli artibus instructissimus, post multa egregia facinora, quibus fidem suam eidem Regi probavit, Ciminnę sexagenario major decessit. De eo Chiavetta in Genealog: par. 2.

Joannes Filingerius

XVI. *Joannes Filingerius* Riccardi S. Marci Baronis filius, rebus præclarè gestis, Eloquentiâ, ac Poesis studiis insignis. In Cypro, & Armenia, ac alibi contra Turcas pugnavit, animique præstantiâ, ac fortitudine paucis secundus, ejusdem Cypri Insulæ suprema donatus præfectura, moxque sub Eugenio IV. & Nicolao V. amplissimo Senatoris munere bis functus, in Sicilia tandem Alphonsi

phonsi Regis munificentia S. Marci Comes claruit. Mortale exuit Panormi anno MCCCCL. in S. Francisci Minorum templo tumulatus cum epitaphio vernacula lingua ab Joanne ipso composito apud Mongitorium in Bibliot: tom. I. Commendatur à Silvagio in Colloq: cap. 44. & Petro Ranzano synchrono tom. 8. Annal. lib. 46. m. s. qui se Catanam contulisse testatur, ut ejusdem alloquiis uteretur; *Viri enim nomen*, ait, *erat in omni Sicilia admodum celebre*.

XVII. *Joannes Thomas Moncata* Adrani Comes, Catanæ natus ex Guillelmo, quem strenuum militem, ac in rebus militaribus probatissimum appellat Silvagius. Fuit Joannes Alphonso Regi gratissimus, florentique ætate magnus Siciliæ Quęstor, vulgo Camerlengus, hodie Thesaurarius, ejusdem liberalitate creatus anno MCCCCXXIV; quo in munere summam adeptus gloriam, Patris Collega in Regni administratione, & Magister Justitiarius ab Joanne Rege MCCCCLXIII. adlegitur. Quumque idem ejus Pater Siciliæ Prorex factus, à Turcis Insulam diripiendam metueret, supremum militiæ Præfectum illum constituit. Lupo Ximenio de Urrea anno MCCCCLXX. Successor Joannes designatus, nonnisi tamen quinto post anno à Ximenii morte regimen nactus, integro triennio, ac rursus MCCCCXCIV. summa cum potestate insulę pręfuit. Doctrinâ, eloquentiâ, Poesi, enituit, decessitque tandem anno MDI. De eo cum laude scribunt Amicus in Chronol: Vincentius Auria, & Mongitorius. *Jo: Thomas Moncada.*

XVIII. *Simon de Piscibus* Joannis Episcopi Frater, quem variis beneficiis, honoribusque ob ingentem viri eruditionem, atque animi integritatem Alphonsus Rex complexus est, cui & suas in Sardinię Regno supremas vices delegavit. Justitię *Simon de Piscibus.*

ſtitiæ tenaciſſimus proprium filium multis facinoribus reum morti addixit.

Bartholomæus Statella. XIX. *Bartholomęus Statella*, Munciolini Dominus, Franciſci, de quo ſuperius, germanus frater, à primis annis ſub Alphonſo militiam ſectatus, per omnes gradus ad primarias exercitus Regii præfecturas evaſit. Poſt Alphonſi mortem in Caſtris Joannis Regis prudentis, ac ſtrenui Ducis opinione diu ſtipendia fecit; eidemque ad Perpignianum contra Ludovicum Galliæ Regem pugnanti, unà cum Franciſco fratre inſignem navavit operam, adeout magnę Victoriæ pars, quæ pro Aragoniis ceſſit, illis, teſte Silvagio, adſcriberetur. Bartholomęus tandem in paludoſo quodam loco, dum Principi ſuo obſequeretur, extinctus periit. *Joannes Statella.* Cujus filius *Joannes* equeſtri & ipſe fortitudine excellens, copiarum ductor ab eodem Rege conſtitutus, non ſemel de hoſtibus triumphum retulit, ut laudatus Silvagius ſcribit; ejuſdemque Principis liberalitatem expertus, Buxemii Dominus effulſit. Conſule Groſſum, ac Silvagium, qui *Ricchardi Statella* virtutem etiam commendant, virumque magnæ prudentiæ, ac conſilii deprędicant, immaturo fato præreptum.

Hieronymus Anſalonius. XX. *Hieronymus Anſalonius* præſtantiſſimo genere ortus (Anſalonii ſub Petro Aragonenſi primo celeberrimi fuere) Pitinei Dominus, *Joannis* Juriſconſulti ſingulariſſimi filius, Juri & ipſe operam dedit, à virtute, & fide Alphonſo Regi pretioſus, quem ſępius pecuniis juvit. Inter M. R. C. Senatores quartùm adoptatus, ad Joannem Alphonſi ſucceſſorem Regni Orator cum aliis proceribus miſſus, Magiſter Secretus dehinc, ac per inſulam univerſam Generalis Vicarius claruit. De Patria ſua demum meritus, Scrutinii, vulgo *Buſſoli*, Privilegium pro ea obtinuit. De eo Groſſus, & Mongitorius

gitorius, qui Joannem Patrem cum Hieronymo perperam confundit.

XXI. *Joannes Bonifacius* Catanæ illustrissimo sanguine oriundus, virium robore, animique fortitudine paucis comparandus, duodecies ad bellum provocatus, victor semper evasit. Celebris per Galliam, robustioribus viris æquari meruit. De quo Silvagius in Colloq: & Grossus. *Joannes Bonifacius.*

XXII. *Julius Sancius Platamonius*, Acis Baro, Joannis Baptistæ Proregis filius, à Regalibus Rationibus, Messanę anno MCCCCXLII. Strategus. Illum laudant Silvagius, Grossus, & Baronius de Majest: Panorm: lib. 3. cap. 11. *Thomas Platamonius* Regius miles, ac strenuus, uti in diplomate de anno MCCCCXLIX. apud Grossum, Alphonso acceptus à bellica virtute clarus, Regiisque insignibus honoratus, Messanæ demum Strategus anno MCCCCLIV. Triremim, ære proprio, suppetiis eidem Principi Bellum Neapolitanum gerenti ferendis, instruxit. Ex Grosso in Decachordo. *Joannes Paternionius* Antonii filius, Alphonso eidem gratissimus, illiusque familiaris, Messanensis Strategus anno MCCCCL. & rursus LXIX. *Henricus Statella* Regius miles Messanæ etiam Strategus anno MCCCCXXXVI. *Julius Sancius Platamonius. Thomas Platamonius. Alii Messanæ Strategi.*

XXIII. *Raymundus Joenius* belli, pacisque artibus insignis, Hydruntinæ urbis à Turcis valida manu obsessę aliquandiu Propugnator; subindeque à Xisto IV. Rom. Pontifice Ecclesiæ agminibus anno MCCCCLXXX. præfectus, merito à Silvagio, & Grosso laudatus. Obiit MCCCCLXXXVII. *Raymundus Joenius.*

XXIV. *Gualtherius Paternionius* hujus nominis secundus, quampluribus legationibus ad Leonem X. Rom. Pontificem, aliosque Italiæ Regulos, Regis nomine, functus, arduisque negotiis adhibitus, Imbacaris, sive Macharæ feudo à Ferdinando auctus, Rationum denique Magister adle- *Gualtherius Paternionius.*

ctus, à scientia etiam clarus effulsit. Ejus meminit cum laude noster Milanensis, nec non Grossus in Decac.

Thomas Barresius. XXV. *Thomas Barresius* ex Marchionibus Militelli, animi præstans, bellicisque artibus instructus. Anno MCCCCLXXI. contra Turcas Euboeam Insulam oppugnantes invicta constantia decertavit, iisque fortiter restitit. Commendatur à Silvagio in Colloq: & Grosso. *Vassallus de Gravina*, Caroli filius, per Insulam Armorum Præfectus anno MCCCCLXXXV, ob egregiam navatam operam, literis Ferdinandi Gonsales de Corduba ad Ferdinandum Regem commendatus. De quo Baronius Majes. Panor. lib. 3. & Grossus.

Vassallus Gravina.

Joannes Celestis. XXVI. *Joannes Celestis* in regia Ferdinandi aula educatus, strenuè pro Rege in Granatensi oppugnatione, & alibi militavit. Regis idcirco *Alumnus*, Grosso authore, ac *Dapium Incisor*. Anno MCCCCLXXXII. Regni Siciliæ Logotheta, vulgo Protonotarius, Castro Salemis, plurimisque aliis bonis auctus, ut Regio constat diplomate xv. Martii MCCCCLXXXII. In Patriam denique revocatus, ejusdem præfectura cum jure gladii bis perfunctus, ibidem honorum plenus obiit. Ejus meminit Lucius Marineus Hispan: Illus: lib: xv; ubi Joannis illustre facinus in urbis Ilerdæ expugnatione commendat.

Marcus de Castello. XXVII. *Marcus de Castellis* Joannæ Neapolis Reginæ, florenti ætate Aulicus, eidemque in primis acceptus, qua mortua Alphonso Regi adhæsit, ejusque inter familiares adscriptus, variis ab illo muneribus affectus est. Sub Ferdinando demum strenuè militans vallem Laniorensem in Hispania strenuè expugnavit. Regii idcirco Alumni titulo, Legati munere, aliisque dignitatibus claruit. Consule Grossum in Decach: chor: 9.

Albarus

XXVIII. *Albarus Paternionius* illustrissimæ gentis inclytum decus; vir consilio, prudentiâ, aliisque virtutibus, equite dignis, nec non eruditione clarissimus; de Patria denique summè meritus, quam non semel inter Senatores adscriptus rexit, defendit, illustravit. Civilis Magistratus Cęremoniarum librum quum suscepisset concinnandum, eo ordine ritus singulos, cum in sollemnioribus, publicisque pompis, tum in adventu Principum composuit, ut etiamnum hodie pro norma illius instituta habeantur. Regibus, summisque Pontificibus apprime charus, eorum literis benevolentia plenis meruit honorari, quæ adhuc ab Hæredibus servantur. Ad Romanæ urbis Senatoriam dignitatem ab Julio *II.* olim Catanensi Pontifice, elatum illum vulgavit Grossus, ac secundo ab Leone X. Et primo quidem Magistratu egregiè functum affirmat, alteri verò ætate impeditum, nuntium remisisse. Vita excessit annis jam gravis anno MDXXV. Extat è marmore elegantissima ejusdem Statua in S. Mariæ de Jesu cum epigraphe, quam exscribit Grossus chor: 9. *Albarus Paternionius.*

XXIX. *Simon Vivicitus* nobilis Catanensis J. U. Doctor ab eruditione, & eloquentiâ commendatus; optimus enim Orator à Cutellio dicitur, de donat: tract. 1. dis. 2. In patrio gymnasio ad plures annos Legum Interpres, nec semel M. R. C. subselliis impositus, conceptam de se opinionem auxit. Vivebat anno MCCCCXCIX. De eo Marchesius de Comit: Sicil. Pirrus, Grossus, Mongitorius. *Simon Vivicitus.*

XXX. *Petrus Rizzarus*, vir Patritius, dexteritate, & prudentiâ præcipuus, anno MCCCCXXXIV. ad Alphonsum Regem Catanensis Orator, quidquid legatione petiit ab humanissimo Principe obtinuit. Idem ad Joannem Infantem Alphon- *Petrus Rizzarus.*

si

si fratrem eodem munere functus, de Patria optimè meruit. *Joannes de Alexandro*, sive *Alexandrano* clarissima gente ortus, Ferdinando Regi Catholico pretiosus, Oneratorii portus, & maritimæ Catan: juribus, munificè, pro virtute, præstitisque obsequiis ab eodem donatus, floruit anno MCCCCXCVI. *Antonius Bonajutus*, qui Alphonsi Regis decreto M. R. C. Judex anno MCCCCLIV. adscitus, aulam illam doctrinâ, integritate, ac moribus eximiis decoravit. De eo lib. 7. cap. 2. *Antonius Alexandranus* Patriæ Legatus ad Alphonsum, ab eo, ut Curia *Primarum Appellationum*, ita dicunt, Catana frueretur, impetravit, anno MCCCCXXIII. uti in Annalibus diximus. *Pirruchius Lancea* Ficarræ Dynasta, militari gloria clarus, Regis familiaris, variisque in patria, & Insula præfecturis insignis, de quo Grossus chorda IX. Floruit Anno MCCCCXLI.

Joannes de Alexandro

Antonius Bonajutus.

Antonius Alexandranus.

Pirruchius Lancea.

SUB AUSTRIACIS.

Blascus Lancea.

I. BLascus Lancea Trabiæ Dominus, ac jure Uxoris N. Tornanbeniæ Castaniæ Baro, ab juris utriusque doctrinâ, & eloquentiâ commendatus, M. R. C. Judicibus accensus, ad Ferdinandum Regem pro arduis Regni negotiis Orator, per Insulam universam sub Carolo V. Generalis Vicarius, aliisque supremis functus muneribus, Panormi summum clausit diem in S. Citæ templo hac inscriptione sepultus:

Quem solum terris habuit Lex utraque *fulmen*,
Conditur hoc Blascus Lancea *Sarcophago*.
Obiit VIII. Octobris IX. Indic. MDXXXV.

Antonius Lancea.

Fratrem habuit natu minorem *Antonium* juris etiam peritia celeberrimum, ac Causarum Patronum

paucis

paucis secundum, Regium denique Consiliarium. De utrisque sequenti Capite.

II. *Pyrruchius de Joenio* imperterriti animi juvenis, Aydonis, Petrætagliatæ, & Castrileonis Dominus, quum Romę pro Castrileonis Marchionatu cum suo gentili litem gereret, criminis insimulatus, quod contra Regem cum aliis proceribus conjurasset, diu in latebris degens, demum in fuga deprehensus, omnibus tormentis actus, excruciatusque, objectam culpam, tota Sicilia mirante, ut Fazellus dec: 2. lib. x. testatur, ab se rejecit, ac pristinæ gratiæ restitutus, Carolo Regi fidem deinceps suam multis argumentis probavit. Ex hoc Pyrruchio Isabella Joenia prodiit, quæ magno Regni Neapolis Comestabulo nupsit, unde ad Columnios Joeniæ Gentis Dynastiæ devenere; & Andegavii Comites, Noariæ Domini, qui inter Siculos hodie Proceres non ultimi. Ex Pyrruchii Fratre Raymundo Joenii, qui adhuc Catanæ vigent. Pyrruchius porro, & Raymundus Bartholomæi filii; Hic ex Perrono, seu Pyrruchio, cujus num. XIX. in superioribus memini. *Pyrruchius de Joenio.*

III. *Joannes Thomas Paternionius* M. R. C. Judex, quum non minori doctrinæ præstantia aulam hanc sub Carolo Rege, quam vitæ integritate illustraret, à furente plebe, Squarcialupo duce, Panormi in Proregis palatio trucidatus, anno MDXVII. interiit. De eò Fazellus, aliique Sicul: Rerum sub Carolo V. Scriptores. Illius gentilis *Joannes Philippus Paternionius* in eadem M. Curia Senator, Regique à consiliis, anno MDXXXVII. etiam floruit, commendaturque ab ingenii acumine, morumque elegantiâ. Idem jussu Caroli Cęsaris magno Joannitarum Magistro Melitæ Insulæ possessionem tradidit, uti Abela in sua Melita Illustrata. Obiit in Patria ætate senex. Consule Grossum, & Gentis Paternioniæ Scriptores. *Thomas Paternionius.* *Jo: Philippus Paternionius.*

Franciscus Provinzalis. IV. *Franciscus Provinzalis* J. C. celeberrimus; *sollemnissimus*, *& magnus doctor* à Franc: Milanensi decis: 2. lib. 2. & à Belli lib. 5. quęs. 31. appellatus, Patavii, Bononiæ, & Pisis Jus civile summo audientium plausu primùm, Salmanticæ post, & Ilerdæ in Hispaniis, non minori frequentia, explanavit. M. R. C. Senatoribus in Sicilia accensus, Fisci mox Patronus, Regens in supremo Italiæ, & Aragoniæ consilio tandem renunciatur. Immaturo fato ætatis anno L. Domini verò MDLVIII. è vivis ereptus Gandavi in Belgio. Excultissima ejus è marmore statua in Catanensi Carmelitarum Cęnobio cernitur, cum Epigraphe: *Franciscus Provinzalis, Juris Consultus Singularissimus*.

Alphonsus Paternionius. V. *Alphonsus Paternionius* sub Carolo Cęsare stipendia meruit, cui, Goletæ, vulgo *Gulettæ*, arcem, & Insulam in Africa expugnanti, strenuam navavit operam; primus enim inter hostium tela murorum pinnas conscendens, Regium vexillum, partæ Victoriæ trophęum prætulit, aliis munimenta invadendi exemplum dedit. Copiis hinc ob virtutis meritum, egregiique facinoris pręmium præfectus, magnum sibi nomen comparavit. Grossus.

Joseph Cumia. VI. *Joseph Cumia* Catanensis, doctissimus, ac in magna existimatione apud omnes Siciliæ proceres, præsidesque semper habitus, editis etiam operibus clarus, in suprema Reg: Aula tertiùm Judex, quum aliquandiu Panormi, & alibi per Siciliam incorruptæ integritatis exempla præbuisset, in patria demum plenus dierum vitæ cursum consummavit, in Carmelitarum sacra æde conditus. Illum commendant Borellus de Præst: Reg. Cathol: cap. 40. Genserus in Bibliot: Mongitorius, & alii. Floruit MDLXIII.

Ambro-

VII. Ambrosius Joenius, Eques Hierosolymitanus, magna Cruce insignitus, ac Pisarum Prior, in Melitæ propugnatione contra Turcarum conatus summa animi fortitudine Christiani nominis gloriam defendit, suique generis, ac religiosæ familiæ decus auxit. Meritis idcirco laudibus apud Bosium, Pirrum, Grossum, & Minutolum celebratus. Floruit per idem quoque tempus *Hieronymus Gravina*, ejusdem Ordinis miles, strenuus & ipse Melitensis urbis contra communem hostem defensor, qui suorum phalanges ducens, barbaros non semel fudit, ac profligavit, magnæque Crucis insignibus decoratus effulsit; de quo cum laude scribunt citati Authores. His denique accensendus *Joannes Gravina*, qui à Carolo V. Cæsare militarem cingulum anno MDXXX. ob virtutis præstantiam meruit; à Grosso idcirco in Decachor: commendatus. Necnon *Octavius Joenius*, Joannita, Magnæ Crucis Eques, & Barlettæ Prior, ordinis sui, ac Patriæ præcipuum ornamentum, non injuria optimis quibusque comparandus. *Ambrosius Joenius. Hieronymus Gravina. Joannes Gravina. Octavius Joenius.*

VIII. Petrus Vivicitus patritia gente natus, ob animi magnitudinem, ac in rebus gerendis dexteritatem Catanensis Legatus ad Carolum V. Cæsarem, quum hic ex Africano bello redux in Siciliam appulit, à quo etiam militiæ cingulo decoratur, uti ex Epigrammate lingua vernacula exarato, ac in suburbana ejusdem olim villa, à Sancto Georgio dicta, nuper inventa. *Petrus Vivicitus.*

IX. Hercules Statella Francisci filius, Ferdinandi primum Catholici Equorum Magister, & Consiliarius: Catanensis Gymnasii, & molis maritimæ Quæstor; Cujus filius Franciscus ejus nominis secundus, inter primos militiæ præfectos sub Carolo eodem claruit, ac jure uxoris Isabellæ Carufo Hyspicefundi Dominus evasit. *Hercules Statella.*

Henri-

Henricus de Medicis J. C. X. *Henricus de Medicis* Catanensis J. C. celeberrimus ab eximia doctrina insigniter commendatus, qui anno MDXXXVII. M. R. C. Judicem egit, Regiisque Consiliariis cooptatus, vitæ inculpatæ actibus magnum sibi nomen comparavit. Relictis porro variis ingenii monumentis mortale exuit XIV. Februarii MDXLIX.

Hieronymus Fimia J. C. XI. *Hieronymus Fimia* genere nobilis, virtute, atque eruditione illustrior, ob singularem ingenii eminentiam *Aquila volans* passim appellatus, quum assiduis, in libris evolvendis, vigiliis magnam sui opinionem excitasset, atque ab ea Jurisprudentiæ parte, quæ de Feudis inscribitur, singulariter esset commendatus, in Catanensi primum Academia publicus Interpres ad plures annos inclaruit, meritis subinde honoribus insignitus, pluries in M. R. C. Sexvir constitui, ac Fisci Patroni munere cohonestari meruit; quumque ad majora properaret, Panormi fato cessit XV. Kal. Septembres MDXLIX. in S. Mariæ Angelorum Ordinis Minoritani Ecclesia sepulturæ mandatus. Hujus cum laude meminerunt Garsias, Mastrillus, Milanensis, Nepita, Petrus Ansalonius de sua Familia, Grossus, & novissimè Mongitorius.

Jo: Bapt. Seminara Regens. XII. *Joannes Baptista Seminara* Catanensis, Juris prudentia clarissimus, emensis non vulgari æquitatis, & doctrinæ opinione in patria primum, ac in universa Insula honorum gradibus, Fisci Patronus, moxque ad supremum Italici Consilii in Hispania munus vocatur. Ubi autem è Sicilia, cum Nicolao Caracciolo, Patriæ Episcopo, Siculis triremibus vectus, anno MDLXII. Junio mense solvit, à Piratis captus, Tripolimque advectus, ingenti soluta pecunia, liber tandem dimissus in Hispanias navigavit. Carolo Cesari, ac Philippo II. apprime charus, ad sex annos penè in aula

Regia

Regia pluribus nominibus se commendavit. Extat ejus tumulus hodie in S. Claræ Monialium templo, ex illo S. Hieronymi post annum MDCXCIII. translatus, cum Epigraphe. Obiit XIII. Februarii MDLXVIII. Filium habuit Petrum equestris ordinis, S. Hieronymi Monialium Cœnobii Fundatorem, qui malè à Pirro cum Joanne patre confunditur, uti Grossus in decac. chor. II. mod. 15. advertit.

XII. *Raymundus Ramundettus Sanmartinus*, Juris Apollo vulgari appellatione dictus; vir à literis, obitisque cum laude muneribus satis celebris, inclytæ gentis Sanmartinæ à Raymundetto de Sanmartino Sibaris Domino originem repetentis; Patrem habuit Joannem in Neti valle Generalem Vicarium, aliisque titulis clarum. Ipse autem diu in patrio gymnasio primus Juris Cęsarei Interpres; Anno MDLXIV. à Philippo Rege Generalis Regni *Visitator* adlectus, quo in munere præclara vigilantiæ, ac prudentis regiminis vestigia reliquit; post Tribunalium in Sicilia Reformationem ab eodem Philippo initam, S. R. Conscientiæ, sive *Consistorii* primus Pręses renunciatur; mox inter XII. Viros, vulgo Regni Curatores adscitus est. Anno MDXXV. supremus in Consilio Italico Regens apud Hispanias, difficillima Monarchiæ negotia per septennium pertractando, eximia integritate se gessit. Redux in Siciliam Præsidis titulo in omnibus Regni tribunalibus, à Consiliis Status, & belli, Janue in itinere laboribus, atque ætate consumptus, diem clausit extremum; cujus exuviæ anno MDLXXXIII. Panormum translatæ in S. Dominici tumulantur. De eo Auria chronol: Proreg: Pirrus, Marchesius de Comit: Sicul: & alii.

Raymundus Raymundettus Regens.

XIII. *Fridericus Campixanus* nobili gente Catanę satus, egregius Jurisconsultus à Muta *Tit. 4. ad*

Fridericus Campixanus J. C.

Prag. Reg. Sicil: aliisque appellatus; Primis, & præstantissimis totius Italiæ Juris candidatis merito accensendus, M. R. C. secundùm Consularis, Carolo Cæsari à Consiliis, moribus denique incorruptis clarissimus. Ejus meminit Franc. Baronius *lib.* III. *Majes. Panor. de Gente Veglia* §. 6. Pirrus, Grossus, aliique, qui inter Scriptores Fridericum enumerant. Decessit anno MDLXVIII:

Petrus Rizzarus J. C. XIV. *Petrus Rizzarus* Equestris ordinis vir, legalique scientia egregiè excultus, Regi à consiliis, editisque operibus illustris, de quo inferius. Ejus cum laude meminit Grossus in Decachordo chor. 9. Decessit Panormi XI. Augusti MDLXXX.

Antonius Cutellus J. C. XV. *Antonius Cutellus* Juris scientia clarus, generis illustrissimi, atque ingenii singularis, muniis in patria summo cum merito functus, Regii Fisci Patronus, ac Generalis Insulæ totius Lustrator evasit; tandem apud supremum Italiæ consilium Matriti Regens, dignitatem eximiis moribus, integritate, ac prudentia, aliisque virtutibus illustravit; sibique immortale nomen concilians, Patriæ decus auxit. Floruit sub Comite de Olivares Prorege, qui in arduis negotiis ejus consilio utebatur. Laudant illum Nepita *in Proœmio ad Consuet. Catan:* Milanensis decis. 10. num. 35. & Grossus in decachordo chor. 9. aliique.

Joan: Bapt. Cœlestis Regens. XVI. *Joannes Baptista Cœlestis*, Petri filius, Catanæ, Grosso authore *in Decach: & lib. de Gente Cœles.* anno MDXLVIII: ortum habuit; quamvis alii Siclensem patria affirment. Catanâ dubio procul oriundus, ubi ejusdem gens floruit. Opid. S. Crucis Dñus, ingenio promptus, eruditione præstans, dexteritate præcipuus, quibus sane adminiculis, ad supremos honores gradatim ascendit; nam S. R. Conscientiæ primùm, inde M. R. C. sedes occupavit, Regni insuper *Protonotarius*, sive Logotheta,

ta; Regalium Rationum Magister, atque anno MDXCVII. Supremi Italici Consilii Regens adlectus, postquam aliquandiu in Hispania doctrinæ radiis, integritate, ac prudentia, innotuisset, in Patriam reversus Regii Patrimonii Præses, ac S. Crucis Marchio effulsit. De eo Grossus in decach: Auria in Hist. Chron. Proreg. laudatur etiam à Burgio nostro, qui suum *de Laudimio* opus eidem dicavit, & Catanam communem Patriam sibi, & Joanni clarissimè dicit.

XVII. *Franciscus Colle* J. C. Catanensis, Regius Consiliarius, M. R. C. Judex, Regalium Rationum Magister, tandemque Regni Proconservator Generalis. Laudatur à summa animi moderatione, doctrinę pręstantiâ, æquitate, ac prudentiâ; Floruit anno MDLXXXVI. *Franciscus Colle J. C.*

XVIII. Hunc alter *Franciscus Colle*, Junior idcirco appellatus, excepit, qui tertium in Patrio Atheneo primarius legum Professor, totidemque in M. R. Curia Senator, criminum vindex, ac sontium terror evasit, magnus ideo *Criminalista* audiit, ac longe per Siciliam, lateque celebratus resplenduit. Vivebat circa annum MDXCV. *Franciscus Colle Junior J.C.*

XIX. *Galeottus Platamonius*, genere, doctrinâ, magistratu clarissimus, quater inter M. R. C. Judices cooptatus, ac denique in Patria maleficiorum Quęsitor, sive Justitiarius anno MDXC. Excessit è vita triennio post, ac in S. Marię Majoris Fratrum Prædicatorum templo sepelitur, nobili epigrammate honoratus, quod periit. Ejusdem gentilis *Joannes Platamonius* summus causarum patronus, tertiùm S. R. C. sive *Consistorii*, Judex, novies in M. R. C. Tribunali, non vulgari integritatis fama, jus dixit; Obiitque ætate, atque honoribus plenus. *Galeottus Platamonius J.C.* *Joannes Platamonius J.C.*

Nicolaus

Nicolaus Intrigliolus J. C.

XX. *Nicolaus Intrigliolus* patritia gente Catanæ natus, anno MDLXII. studiis severioribus à pueritia addictus, brevì eam sibi doctrinam, in Jure vel maximè, comparavit, ut ante xx. ætatis annum, nondum doctorali laurea insignitus, eruditissima Commentaria in Bullam Nicolai V. de Censibus in lucem emiserit. Ad emeritas hinc dignitates properè festinavit, & vespertinis horis in Patrio Gymnasio Jura primùm Cęsarea ingenti cum plausu explanavit; mox supremis magistratibus aptus, pluries in M. R. Curia Sex vir adscitus, ac Regi à Consiliis, dum quintùm eodem fungeretur munere, fato cessit, Panormi in S. Marię Angelorum Ecclesia tumulatus, cum epigraphe, quam nobis Petrus Cannizarius dedit. *D. Nicolao Intrigliolo, Juristæ, Regio Consil: Catanensi Patritio, Et Legum Publico Interpreti,* M. R. C. *V. Judici, Clarissimo, Integerrimo, Ac De Jurisprudentia Quamplurimis Etiam Editis Libris Optimè Merito, In Ipso Magistratu Immatura Morte Extincto. D. Calceranus Filius Parenti Optimo* F. *Obiit Anno Salutis* MDCIII. *Die xx. Aprilis Ætatis Suæ Anno* XLII. De Nicolao rursus.

Cosmas Nepita J. C.

XXI. *Cosmas Nepita* J. C. Catanensis doctissimus; diu in publica Academia Juris Cathedram moderatus, bis in supremis M. R. C. subselliis, magna integritatis opinione Judex effulsit. Regi hinc à consiliis, ac Regni Logotheta, vulgo Protonotarius, munia hæc non sine laude explevit. In Patriam reversus, quum aliquando Acim contenderet, à nefario prædone glande plumbea percussus interiit, ac in S. Francisci Minorum Fratrum æde conditur, anno MDXCVIII. Illum laudant Pirrus, Grossus, Carrera, Cutellus, & Mongitorius.

Franciscus Milanensis J. C.

XXII. *Franciscus Milanensis* ex Vincentio, & Agatha Campixano Catanę progenitus, Literarum

rarum studiis à pueritia addictus, Juris utriusque in Patrio Lyceo lauream meruit; quum doctrinæ fama quotidie inclaresceret, Prætorii Panormitani Judex anno MDLXXI. renunciatus, pluries subinde in M. R. C. Senatu Jus dixit. Regiusque Consiliarius, ac Patrimonii Fisci Patronus claruit. Sublatus ex hac vita XVII. Augusti anno MDXCV. in S. Mariæ Angelorum Ecclesia Panormi sepelitur. De eo infra.

XXIII. *Nicolaus Custarella*, primarius in patrio gymnasio Juris Cesarei professor, eruditione præstans, omnibusque animi dotibus exculctus, ad supremos idcirco honores, virtute duce, viam sibi aperuit, ac M. R. C. non semel subsellia scandens, Regi à Consiliis fuit. De quo Grossus in Decach. & Basilis. *Maurus Burgius* J. C. etiam eximius, à doctrina numquam satis laudatus, pluries in patria Judex, ac in M. R. C. tribunali eodem munere functus, Regiis demum Consiliariis annumeratus, editisque operibus orbi literario notissimus. Decessit Panormi II. Julii anno MDCXVI. Memoratur Pirro, Cutellio, Mastrillo, Giurba, aliisque. De eo rursus.

Nicolaus Custarella J. C.

Maurus Burgius J. C.

XXIV. *Cataldus Fimia*, Patritius Catanensis, mira ingenii dexteritate pollens, legalique scientia cumulatissimè instructus, magna nominis celebritate septimùm in M. R. C. foro Judex enituit, semel in S. R. Conscientiæ, Regiisque Consiliariis accensus, opinionem, quam de se excitaverat mirabilius superavit. Obiit in Patria XIV. Februarii MDCXXXVIII. Plura dimisit doctrinæ suæ monumenta, de quibus suo loco, unàque cum Petro Amico conterraneo, & Roccho Potenzano J. C. clarissimis Regni Pragmaticas recentiores in concinnum ordinem redegit.

Cataldus Fimia J. C.

Petrus Amicus Praeses.

XXV. *Petrus Amicus* natalium splendore, munerum præstantiâ, eximiisque in rempublicam meritis conspicuus, Catanæ lucis usuram fecit anno MDLXVI. ex Josepho Francisco, & Lucretia Ciampolo Messanensibus, piis æquè, ac nobilibus, à quibus liberaliter educatus, jurisprudentiæ acre ingenium devovit, tali fructu, ut magistrali laurea donatus, cum paucis eruditione conferendus videretur. Postquam verò triginta & amplius annis in patria Academia legum interpretationi operam dedisset, Judexque pluries ab integritate sese commendasset, emensis Panormi in Regiis supremis aulis, ingenti cum laude, ac virtutis opinione omnium dignitatum gradibus, *Justi Judicis* nomenclaturam assecutus, dierum, atque honorum plenus, ibidem mortales deposuit exuvias, quas Catanam transferendas, ac nobili è marmore sepulchro in S. Mariæ de Annunciata Carmelitarum majori sacello condendas Potentiana Cannizaro Uxor, ac filii Vitus S. Annæ Comes, Ignatius, Vincentius, & Franciscus curarunt hoc Epitaphio, quod adhuc extat, apposito: *Illustrissimo Petro Amico, In Hoc Patrio Gymnasio Pluries Jurisprudentiæ Antesignano; Quater M. R. C. Judicis Toga Insignito; Regio Fisci Patrono; Regni Deputato; A Cordatissimis Proregibus (Alter Ego) In Maximis Constituto; Austriacæ Majestatis Patrimonio Rationum Magistro, S. R. Consistorii Candidissimo Præsidi; Æque Regibus, Æque Popularibus Caro; Pro Scientiis Ingenio, Pro Judiciis Justitia, Pro Regimine Dexteritate Spectatissimo, Pro Vitæ Pietate, Morumque Suavitate Ornatissimo, D. Potentiana Uxor Pro Meritis Mœrens Posuit. Obiit* III. *Kal. Decembris Anno Salutis* MDCXLV. *Ætatis Suæ* LXXIX. De Petro rursus cap. sequenti, ubi de Scriptoribus.

Agathi-

XXVI. *Agathinus Paternionius Castellus* primus Biscaris Princeps, cujus erga Regem fidem, erga patriam merita, in Cives benevolentiam, in rebus demum gerendis navitatem eximiis exornat laudibus noster Grossus. Enituit ejus virtus, animique constantia, quando perditorum quorumdam ausibus anno MDCXLVII. universa civitas æstuare visa est, ut ad eumdem annum diximus, furentem quippe populum ea, qua pollebat authoritate, compescuit. Tum, ut afflictis patriæ rebus consuleret, Panormum ad Proregem maturavit, à quo benignè exceptus, omnia ad votum obtinuit; quumque discissis civium studiis omnia seditionibus agitarentur, odia in equestrem ordinem exardescerent, unus Agathinus Proregi charus, proceribus acceptus, populo non invisus, ubique virtutis suæ vestigia impressit, & Catanense nomen non parum amplificavit. Ejus sæpe consiliis in arduis quibusque Princeps idem usus, ipsum è tribus in Sicilia *Generalibus Vicariis* alterum, cum omnimoda juris dicendi potestate, constituit; quo quidem munere ad aliquod tempus egregie perfunctus, in patriam demum remeavit, ubi ætatis anno LXIII. piè decessit. Ejus in pauperes liberalitatis egregium monumentum fuit, institutus anno MDCLXIX, quum Catanensis ager ab Ætnę igne vastaretur, *Mons Pietatis*, ut vocant, de quo suo loco. *Agathinus Paternionius.*

XXVII. *Gaspar Federicus* Catanę illustri sanguine genitus, in patrio Lyceo publicus Juris interpres, anno MDCXXXIX. R. M. C. Senator, mox Regalis Patrimonii à Rationibus Magister, titulo demum Comitis Sancti Georgii insignitus, de quo Giurba cum laude scribit Obser: 95. num. 22. *Gaspar Fridericus J. C.*

Jacobus Romanus Catanensis, Vincentii celebris J. C. filius, vir scientissimus, & Causarum Patronus *Jacobus Romanus J. C.*

nus

nus paucis secundus, qui gravioribus disciplinis Musarum etiam studia addidit, multaque Latinâ, Etruscâ, & Siculâ lingua laudabiliter cecinit. Ad Judicis dignitatem in M. R. C. evectus, dum adhuc eam provinciam egregiè administraret, Panormi decessit III. Idus Julii MDCXLVIII. In S. Mariæ de Nova templo tumulatus. De eo inferius.

Marius Cutellus J.C. XXVIII. *Marius Cutellus*, nobilis Catanensis, præstantissimi ingenii, summæque eloquentiæ vir, legum doctrinâ, ac peregrina eruditione orbi literario notissimus, morum denique elegantiâ præcipuus; dum in M. R. Aula jus diceret anno MDCXXX. ab Alcalæ duce, Prorege, Orator in Hispanias ad Catholicum Philippum missus, ut contentiones inter Fidei Siculos Quæsitores, aliosque supremos Regni Administros Regia authoritate dirimerentur, non vulgari navitate rem arduam ita composuit, ut *Nova Concordia* III. Kal. Septembris MDCXXXV. Matriti edita, inter Siculas Pragmaticas referatur. Redux in Patriam, eodemque honore insignitus, vix biennio expleto, totius insulæ nomine Legatus Matritum denuo remeavit, magnique momenti negotia sibi concredita, eximia prudentiâ, feliciter confecit. Siciliam, Regii Ærarii Fisci Patronus adscitus, anno MDCXXXIX. repetiit; nec diu post tertiùm Orator à Comite de Assumar ad Regem transmissus, omnia, ut erant in votis, impetravit; quin & graviora ab Metymne Turrium duce Neapolis Prorege sibi commissa etiam negotia ad exitum perduxit. Magistri à Rationibus dignitate tandem auctus, ac Regii Consiliarii munere insignitus, Comitisque Villærosatæ titulo donatus, undique excitata nominis sui fama, doctiorum venerationem latissimè assecutus, deque patria sua Catana cumulatè meritus, Panormi vitam explevit in S. Francisci de Paula Eccle-

Ecclesia tumulatus XVIII. Septembris, Ann. MDC-LIV. Ejus doctissimas lucubrationes infra recensebimus.

XXIX. *Didacus Marotta* Catanensis, eruditionis juxta, ac integritatis nomine celeberrimus, post Magistratus in patria, eximia virtutis opinione gestos, in M. Regia Aula Judex primùm per annos aliquot assedit, mox, aliis muniis, supremisque honoribus decoratus, S. R. Conscientiæ Consistorii Præses, tandemque Magistri Justitiarii Locum Gerens constituitur; cui sane dignitati decus addidit immortale. Rebus mortalibus valedixit XII. kal: Maji MDCLXI. in S. Marię de Misericordia Tertii Ordinis Minorum Æde sepultus. De eo Auria in Chronol: *Didacus Marotta Præses*

XXX. *Petrus de Gregorio* Catanensis Patritius, J. C. eximius, ac S. Jacobi de Spada Eques, Caroli de Gregorio, & Agathæ Buglio filius, singulari præditus scientia, quam incorruptis moribus, animi moderatione, atque eximia æquitate cumulavit. Juris Cęsarei ad plures annos in patrio gymnasio Interpres effulsit, ejusque prætorii Judicibus accensus inclaruit. M. R. C. Senator pluries designatus, atque à Regalibus rationibus Magister, supremus in Italico Consilio Regens, non vulgarem sibi gloriam comparavit. Redux in Siciliam, M. Reg. Aulæ Præses factus, summum honoris gradum ad triennium illustravit. Tres duxit uxores alteram Syracusanam, Panormitanas duas, quarum jure & ipse Panormi Civis evasit. Hinc in Epitaphio, illi post mortem appicto, perperam cunas habuisse Panormi scribitur, erroremque secutus Vincentius Auria, Petrum Panormo adjudicat. Cęterum Grossus synchronus author clarissimè inter Catanenses enumerat; Fuit Trium Mysteriorum Dux, obiitque Panormi sexagenarius VI. *Petrus de Gregorio Regens*

Idus Novembres MDCLIX. in S. Francisci de Paula extra mœnia templo nobili tumulo conditus.

Horatius de la Torre Regens.

XXXI. *Horatius de Turre*, Catanæ nobili loco natus, emensis omnium dignitatum gradibus, ad supremum in Consilio Italico apud Hispanias munus pro vitæ meritis, ac doctrinę præstantia anno MDCLXII. evocatus, quum ibi per septennium provinciam egregiè gessisset, in patriam reversus, M. R. C. primùm, mox S. R. Conf. Consistorii Pręses delectus, ac Principis titulo donatus, Thusę demum opidi Dynasta inclaruit. Panormi è vivis exemptus est meritis, ac dignitatibus onustus. Laudatur ab Auria in Chronol. à Gastone discep. 1. & à Moretta, qui perperam illum suis Calatajeronensibus accenset.

Vincentius Paternionius.

XXXII. *Vincentius Paternionius* Raddusæ, & Dexterę Dominus, Hyacinthi filius, omnes Patrię magistratus laudabiliter obivit, arduisque temporibus Regi suam probavit fidem, uti ad annum MDCXLVII. & alibi memoravimus. A prudentia, ac in rebus gerendis dexteritatę maximè commendatus, ut periclitanti reipublicę succurreret, caput opponere suùm minimè dubitavit. Mortua uxore, Sacerdotio initiari voluit, ut Deo, ac sibi viveret. Verùm Catanensis Senatus nuntium apud Philippum Regem anno MDCLXIX. agere coactus, ut vectigalium remissionem suis civibus Ætnęi incendii malis, agrorumque ingenti jactura afflictis, ab humanissimo Principe impetraret, onus gravissimum, civica necessitudine adactus, suscepit, summâque solertia muneri satisfaciens, omnia ad votum assecutus, in patriã remeavit, summa omnium ordinum gratulatione exceptus. Tanta porro in Regia Matriti Aula virtutis ejus opinio fuit, ut vacante nõ diù post Pactensis Ecclesiæ sede, in unum Vincentium Rex oculos converteret; Sed fato ille interceptus electionem de se factam non expectavit.

XXXIII. *Joannes Rizarus* generosis parentibus anno MDCXIV. Catanæ progenitus, inter summa ingenia eximius, sacros Canones primùm in publica Academia magna doctrinæ opinione docuit, ac in patrio foro pluries jus dixit. Ad suprema Siciliæ subsellia mox translatus, ab anno MDCLIV. ad LXXVI. in M. R. Aula quater Judicis munere præfuit, ea integritatis fama, ut Regii Patrimonii Fisci Patrocinium fuerit illi delegatum, quo etiam in honore sibi semper æqualis, ita justitiæ rigorem morum elegantia temperavit, ut omnium animos sibi conciliaverit. Relictis ingenii monumentis, de quibus inferius, meritis plenus Panormi MDCLXXXII. ætatis LXVIII. vitam cum morte commutavit. *Josephus Raymundettus* græcè, ac latinè doctus, elegantique ingenio præditus; egregius in patria Academia legum Interpres, mox in supremo Regni Prætorio non semel Judex, Fisci Patronus, ac demum Regii Ærarii Magister, quibus in muniis sese integerrimum exhibuit, summamque gloriam est assecutus. Mortale exuit Panormi anno MDC. LXXX. quum ad majora properaret, quinquagenarius. Commendantur adhuc hodie ejusdem in Ritum Regni Siculi Commentaria, aliaque opuscula m. s. ac in publicis concertationibus, & Judiciis passim laudantur.

Joannes Rizarus J. C.

Joseph Raymundettus J. C.

XXXIV. *Ignatius Gastonus*, Ingenii Baro, Marii J. C. filius, Juris prudentiæ studiis animum addixit, ea contentione, ut ex abditis legum fontibus multa hauserit, quæ cum orbe literario postmodum communicavit. Hinc Pontificias sanctiones in patrio Gymnasio integro septennio, summo auditorum plausu, explanavit; ac in ejusdem Urbis Prætorio septies, semel Messanæ Judex præfuit; ad eminentiores subinde vocatus dignitates à Bellicis Consiliis primùm fuit, in nova Messanensi

Ignatius Gastonus Præses.

nensi Aula (Junctam appellant) jus dixit, Regii Patrimonii Fisci Patronum egit, ac supremus in eodem Messanæ Senatu Minister (Caput Junctæ dicunt) assedit. Panormi in M. R. C. ter Judicis munere functus, Fisci Patronus, à Rationibus Magister, tandemque anno MDCXCIII. Consistorii S. R. C. Pręses adscitus, longè, latèque innotuit. Ibidem vitę cursu absoluto III. Kal. Septembris in Templo Immaculatę Conceptionis, Mercedariorum Fratrum conditus, nobili Epitaphio meruit honorari, quod habes apud Mongitorium Bibliot. tom. I. De eo inferius.

Joannes Raymundettus Regens

XXXV. *Joannes Raymundettus Sanmartinus*, avito generis splendore clarus, doctrina, ac propria virtute illustrior, inter eximios Siculos viros merito enumerandus, Catanæ ex Pardi Principibus ortus, legalis scientiæ studia sectatus, primariis nedum in patria, sed per Insulam universam fungi muneribus meruit; Annum enim XL. agens Orator à Claudio Lamaraldo Sicilię Prorege Neapolim missus, ut rei frumentarię inopia Regno laboranti succurreret, opportuna auxilia ad Siculorum levamen obtinuit. Bello contra Gallos æstuante, Insulę moderatoribus à consiliis adstitit, summaque apud eos authoritate valuit. Regalium Rationum Magister adlectus, pluries Generalem Vicarium in arduis negotiis per Mazarę, & Nethi valles, magna cum laude egit. Matritum evocatus, ac in supremo Italię Consilio Regens constitutus, ea integritate, & prudentia provincię illi satisfecit, ut titulo Ducis S. Martini donatus, ad Italię Regulos nuncius, ad fędus contra Gallos ineundum adsciscceretur; quamvis rerum mutata facie, id muneris neutiquam sit executus. M. R. C. Pręses anno MDCLXXXII. in patriam remeavit, ubi majori in dies fama sese commendans, justitię te-

nax,

nax, animi moderationem servare studuit. Mortuus v. Kal. Novembris MDCXC. in S. Dominici Ecclesia, eleganti è marmore tumulo conditus est.

XXXVI. *Vincentius Finoclarus* Catanensis, doctrinâ, morumque integritate paucis secundus, obitis in patria magistratibus clarus, sextùm in M. R. Aula Senator, à Regalibus Rationibus integro decennio Magister, tandemque S. R. Conscientiæ Præses vigilantissimus; Ætate gravis Panormi S. Gregorii Dux, anno MDCXCII. decessit, in S. Francisci templo condigno honore tumulatus. Vivit adhuc Vincentii nomen apud Siculos immortale, illiusque æquitatem, animi mansuetudinem, ac eximias alias virtutes ætas nulla satis deprædicabit. *Vincentius Finoclarus Præses*

XXXVII. *Georgius Joenius*, egregius in patria Academia ad plures annos Juris Antesignanus, ac pluries M. R. C. fascibus Panormi honoratus, inter ædificiorum ruinas anno MDCXCIII. Catanæ mortem oppetiit. *Georgius Joenius J. C.* *Joannes Baptista Tedeschius*, Herculis filius, diu in Catanensi gymnasio Sacrorum Canonum, ac Juris civilis Interpres, M. R. C. Judex renunciatus integritate non vulgari munus gessit. Immaturè sub elapsi sæculi finem mortuus. *Joan. Bapt. Tedeschi J. C.* *Rocchus Bertinus*, J. C. Catanensis, variis in patria muneribus egregiè perfunctus, in M. R. C. Subselliis collocatus, provinciam optimè administravit. Obiit Panormi. *Rocchus Bertinus J. C.* *Casimirus Nicosia*, à legali scientia commendatus, post primas in Catanensi prætorio dignitates, M. R. Aulæ Senator adlectus, summa cum laude muneri satisfecit. Panormi & ipse decessit. *Casimirus Nicosia J. C.*

SUB BORBONIIS.

Josephus Asmundus J. C.

I. JOsephus Asmundus, generosæ prosapię, Francisci filius, post datam Jurisprudentiæ operam meritis honoribus in patria condecoratus, atque in publica Academia legum professor adscitus, in supremis Regni, ac R. M. C. Tribunalibus Judex quintùm cooptatur. Quos autem Magistratus iniit, summa æquitatis, ac prudentiæ laude non modo gessit, sed illustravit. Christianæ pietatis studiis ita porro incubuit, ut nil antiquius habere videretur, eaque omnibus aliis curis præferret. Honorum pertæsus in patriam remeavit, absolvendoque Puellarum Virginum Ginecęo, quod terræmotu dirutum reparaverat, totus intendit; ac sibi uni deinceps vivens, mortem senex expectavit, quam anno MDCCXVIII, ætatis LXXIV, mense Julio, religiosè oppetiit, in ejusdem Ginecęi Ecclesia sepultus cum epigraphe *Spero videre bona Domini in Terra Viventium*.

Christophorus Amicus J. C.

II. *Christophorus Amicus*, Francisco, & Agatha Massa, patritia gente Catanæ exortus, duodennis clericali militiæ adscriptus, ac S. Luciæ de Leontinis Abbas renunciatus, jam tum maturitate morum, atque ingenii præstantia eximium quid portendere visus est. Post Philosophicas, Legales scientias apprime didicit, earumque laureas, tertio ætatis lustro nondum exacto meruit, quibus ita deinceps se totum adjunxit, ut politiores literas non omitteret, atque utrarumque studium impense excoleret, & in deliciis haberet. Reipublicæ muniis juvenis adhuc admotus, integritatem, prudentiam, dexteritatem perpetuò exprompsit. Juris in publica Academia Interpres, pluries in patrio prætorio, & in Messanensi Judex, variis,

arduisque

arduisque per universam penè insulam legationibus functus, summam ubique gloriam assecutus, ingentem virtutis suæ, ac navitatis opinionem in supremis Regni moderatoribus excitavit. Anno hinc MDCCX. Generalis, ut ajunt, Commissarius, mox R. M. C. Senator, tandemque Regii Patrimonii à Rationibus Magister adlectus, longè majoribus titulis sese commendans, muneribus hisce cumulatissimè satisfecit, laudemque minimè vulgarem sibi quæsivit. Victorio Amedeo Sabaudiæ Duci in primis charus, eumdem Panormo Catanam, moxque Messanam adeuntem comitatus, singularibus benevolentiæ signis ab humanissimo Principe meruit honorari. Anno MDCCXXI. in Patriam remigravit; novi enim Proregis jussu, quotquot Philippi V. Hispaniarum Regis beneficio, supremis etiam dignitatibus fungebantur, è gradu suo deturbati, ad propria redire coacti sunt. Hunc porro variantis fortunæ ludum æquo adeo pertulit animo Christoforus, ut lucrum putaret; Christianis enim officiis propentius exinde incumbere, optimique Domini servitutem nactus, cœlestis vitæ desiderio flagrare cœpit. Concinnando hinc, ac numeris omnibus absolvendo celeberrimo operi, quo generalem Orbis Chronologiam, & Geonologiam complexus fuerat, totis intendens viribus, nec non piis, bonisque operibus animum sedulo excolere studens, postquam Clericos Regulares Teatinos, eorumdem domus Catanæ fundationem promovendo, ac cujusque ordinis cives sibi devinxisset, podagra aliquando correptus, dum annum sextum ageret supra quinquagesimum, XVI. kal. Februarii MDCCXXVIII. imperturbato vultu mortem aspexit, in sacræ Carmelitarum ædis sacello maximo, gentilique tumulo conditus. De eo rursus.

Consal-

Consalvus Asmundus J. C.

XIII. *Consalvus Asmundus*, prosapiæ in paucis claræ, & pervetustę, anno MDCLIX. in lucem editus, Decies in patria, semel Messanæ jus dixit; Pontificias, & Cęsareas sanctiones ad decem annos etiam in ejusdem Archigymnasio summa celebritate explanavit, in supremo M. R. C. foro novies assedit, arduisque negotiis per universam Insulam absolvendis, supremi Principis potestatem sępius commissam habuit, S. Juliani Marchio demum effulsit. Honorum, ac dierum plenus Panormi diem suum invenit anno MDCCXXVIII. ibiq; in Templo Minorum Reformatorum sepultus, tumulum, quod sibi vivens Catanæ in Templo Sanctæ Marię de Directione anno MDCCIX. posuerat, vacuum reliquit. *Desiderius Ruffus*, S. Georgii Baro, nobilis Catanensis, diu in patrio prętorio Fisci Patronus, M. R. Curię Senator, maturitate morum, ac doctrinæ elegantia clarus. Mortem nactus est Catanæ anno MDCCXXVIII. ætatis LXXIV.

Desiderius Ruffus J. C.

Thomas Bonifacius Præses.

IV. *Thomas Bonifacius* honesto loco natus, legali scientia operam navavit, tali fructu, ut forenses omnes patriæ magistratus brevì sit assecutus; Juris Cęsarei ad plures annos primarius Interpres, ad supremas dignitates viam sibi paravit, & Regii Patrimonii Rationum Magister constitutus, egregiè provinciam administravit. Ejusdem Tribunalis Præses adlectus, adversæ fortunæ aliquandiu mala forti animo substinuit; Quum verò avitum Siciliæ Regnum Carolus Borbonius sibi vindicasset, anno MDCCXXXIV. pristinæ dignitati restitutus, eximiam eo ex munere laudem sibi peperit. Fatumque demum senex Panormi invenit anno MDCCXXXV.

Franciscus Gastonus Præses.

V. *Franciscus Gastonus* Ignatii filius, Ingenuę Marchio natus anno MDCLX. præstantis ingenii vir, legalibus scientiis politiores literas, & musa-

rum

rum studium adjunxit, atque omnigena eruditione floruit. In gentis Bellicæ foro Fisci Patronus, ac *Proauditor*, ut ajunt, Generalis, pluries suprema cum potestate per insulam Delegatus; anno demum MDCCVI. M. R. C. Senator, quam dignitatem sæpius cum laude deinceps tenuit. Regii Ærarii Fisci Patronus, tandemque ejusdem Præses renunciatus, quum egregiam virtutis suæ opinionem in omnibus excitasset, ætatis anno LXXIII. pridie Nonas Martias Panormi vitam clausit MDCCXL. Complura in Jure scripsit, de quibus suo loco. *Ignatius* Francisci filius in M. R. Aula semel jus dixit, celeri tamen fato præreptus, omnibus optatissimus ante patrem decessit anno MDCCXXX. *Ignatius Gastonus J. C.*

VI. *Michael Corvaja* in Catanensi Prætorio sæpius Judex, Juris Cęsarei, & Pontificii ad annos XX. primarius Interpres, variis muniis decoratus, demumque inter M. R. C. Senatores anno MDCCXXXII. cooptatus, exacto vix biennio Catanę mense Decembri moritur, cujus corpus in S. Catherinæ Senensis æde infossum est. Commendatur nedum doctrinâ, eloquentiâ, aliisque ingenii dotibus, sed morum quoque elegantiâ, ac vitæ inculpatæ actibus, animique integritate. *Martinus Nicosia* ex Casimiro, de quo superius Panormi ortus, sed origine Catanensis, quo nomine in M. R. C. Judex pluries assedit. Titulo Marchionis insignitus, apud Montemregalem fato immaturo anno MDCCXLIV. occupatur. *Michael Corvaja J. C.* *Martinus Nicosia J. C.*

VII. *Dominicus Constantinus* Catanensis, Jurisprudentia, literisque politioribus excultus, muniis in patria cum laude gestis clarus, ac primarius in publico Gymnasio Juris Professor, in supremo R. C. foro jus aliquando dixit, ac Regii Patrimonii tandem à Rationibus Magister est renunciatus, quam dignitatem, dum hæc scribimus exornat. *Nicolaus* *Dominicus Constantinus J. C.*

Nicolaus Ardizonius J. C. *Ardizonius* Syracusis exortus, ob ductam uxorem privilegio Catanensis, morum ingenuitate, legali scientia, amenioribus literis ornatus, ac musis apprime charus, M. R. C. Judex. Sacræ subinde Militiæ accensus, hodie Agrigentinæ Ecclesię Archidiaconus. *Jacobus Bertinus J. C.* *Jacobus Bertinus* in patrio prętorio Fisci Patronus, aliisque muneribus insignis, primus in Catanensi Academia legum Interpres, semel & iterum M. R. C. Senator. Vivit rerum, ac fandi peritus.

Franciscus M. Paternionius J. C. VIII. *Franciscus Maria Paternionius*, & *Bonajutus*, Raddusę, & Dexterę Baro, ab ingenii pręstantia, morum comitate, prudentiâ, ac animi demum magnitudine commendatus; Caussarum patronus æquè integerrimus, ac inter primos celebris M. R. Aulę scamnum, an. MDCCXXXIV. conscendit. Forum hodie illustrat, ac Patrię jura tuetur, aliisque publicis muniis Panormi effulget. *Aloysius Paternionius J. C.* *Aloysius Paternionius* ex S. Juliani Dynastis, inter summos Juris Professores nemini de principatu decedens, M. R. C. Judicibus anno MDCCXXXVIII. accensus, justitię severitatem ita officiis, ac prudentiâ temperavit, ut omnium sibi ęstimationem conciliaverit. Properat ad majora. *Vincentius Michelangelus J. C.* *Vincentius Michaelangelus* politioris, ac legalis literaturę studiis apprime excultus, omnibus in patrio foro magistratibus perfunctus, Jurisque in Archigymnasio Antesignanus Professor, anno MDCCXXXIV. M. R. C. Judex renunciatus, possessionem minimè assecutus, mox anno XLII. eamdem nactus dignitatem, illam eximiè illustravit. Vivit ad majora. *Petrus de Paula J. C.* *Petrus Paulus de Paula* Catanæ satus, post adeptam Juris lauream Panormum se contulit, ubi caussarum patrocinium summa cum laude suscepit. M. R. C. subsellio impositus anno MDCCXLII. singularem sibi gloriam comparavit. Vivit hodie. *Antoninus Amatus J. C.* *Antoninus Amatus*

matus virtute, atque ingenio præstans, sæpius in patria Judex, ac publicus Juris Cæsarei supremus Professor, M. R. C; dum hæc scribimus, Senator.

IX. *Josephus Asmundus Paternionius* ex Joanne Baptista Paternionio Ficaratium Barone natus, Consalvi avunculi, de quo num. III. gentile nomen assumpsit, fortunasque est assecutus, ab eo etiam à teneris unguiculis educatus, doctrinam hausit. In foro Panormitano ad plures annos caussarum patrocinium exercuit, ac patriæ juribus vindicandis strenuam navavit operam. M. R. C. anno MDCCXXVIII. Senatoribus accensus, summam ex eo munere gloriam tulit, ac raro exemplo, altero rursus biennio confirmatus, illud egregiè administravit. Arduis negotiis cum Panormi, tum per Insulam adhibitus, quum singulari solertia, ac prudentia illa explicasset, tertiùm in ejusdem aulæ subselliis collocatus, Regii demum Ærarii Fisci Patronus novissimè effectus, pergit seipsum superare, cui majora pro bono patriæ enixè apprecamur. *Vincentius Paternionius Castellus* Carcacis Dux anno MDCCXIII. ad Seren. Victorium Amedeum Siciliæ tunc Regem salutatum, Catanensis Senatus Nuncius, hisque novissimis diebus, grassante Messanæ, atque in ejus municipiis pestilenti lue, ad publicæ salutis custodiam Generalis Vicarius cum suprema potestate adlectus, provinciæ huic immenso cum merito satisfecit; conceptamque de se opinionem vicit. Si qui alii, ob gestos cùm laude Magistratus, atque à virtute illustres in hac serie desiderantur, nostræ oscitantiæ minimè adscribat Lector. Omnia nequit unus advertere; sed illos potius, qui vel suorum invident gloriæ, ut propriæ consulant, incuset.

Joseph Asmundus Paternionius J.C.

Vincentius Paternionius.

CA-

CIVES SCIENTIA, EDITISQ; OPERIBUS CLARI.

Thirsis Ætnæus Poeta

I. THyrsis Ætnæus Pastor, & Poeta, Daphnidis Herçi, qui & ipse aliquando Ætnæ incola fuit, alumnus, Bucolicum Hexametrum carmen invenit, uti ex Photio de Metris tit: de Hexam: Bucol: tradit Vigintimillius de Sicul. Poetis cap. 8. quod è Siculis tuguriolis in Græcas, & Latinas Regias invectum, easdem mirificè exornavit. Theocritus Thyrsis nomine primùm Idylion nuncupavit, in quo Dephnidis deflet mortem:

Incipite Bucolicon, o dulces musæ, incipite carmen,
Thyrsis hic ille ab Ætna, & Thyrsidis hæc vox est.

Id etiam præstitit Virgilius Ecloga v. uti Antonius Mancinellus observat. Consule Mongit: in Biblic. Sicul: tom. 2.

Charondas Philosophus.

II. *Charondas* Philosophus, & Legumlator celeberrimus. Hunc Siciliæ invident Maresiotus, qui lib: 2. cap: 9. Locrensem dicit, Barrius descrip: Calab: lib: 5. qui Thurium, & Hieron: à Flore, qui Sybaritem appellat. Pessimè Volaterranus Anthrop: lib. 13. Tyrium facit, Aristotiles enim clarissimè Polit: lib: 2. Joan. Stobeus Ser: 145. Jamblicus in vita Pythagoræ, Siculum, & Catanensem evulgant. Fuit Pythagoræ auditor, Laertio, Jamblico, & Seneca Epist. 90. testibus. Tradit Ælianus lib. 3. var. Hist. quod quum vellet Civium suorum leges corrigere, ab illis exagitatus, Rhegium contendit, Rheginisque legem tulit. Thuriis subinde, Crotoniatis, Sybaritis in magna Græcia, Himerensibus in Sicilia, Agrigentinis, Tauromenitanis, Catanensibus suis,

ac

ac reliquis Chalcidensibus vivendi normam perscripsit, ut Jamblicus est author, subdens, quod ejus munitæ legibus longè illorum Reipublicæ perdurarunt. De morte Charondæ illud vulgo circumfertur, quod, quum legem tulisset, ne quis armatus in concionem veniret, ipseque rure forte-fortuna rediens, ad sedandam concitatam multitudinem, ut erat gladio accinctus, verba ad populum fecisset, legis admonitus, ab eo, qui proximè sedebat, eidem gladio incubuit. Sed de Diocle Syracusano Legislatore hæc etiam narrantur, uti Diodorus lib: 12. admonuit. Cęterum Charondæ *sepulchrum*, inquit Fazellus dec. 1. lib. 3. cap. 1. *marmori inclusum, cum arca stannea, in qua ossa ejus condita erant, ætate mea, juxta ædem Divæ Agathæ, quam veterem appellant, inventum est.* Quæ sane mortuum in Patria Philosophum arguunt. Vivebat senior Olympiade LXXXIII.

Charondæ leges à Diodoro loco citato referuntur, ubi illum summis laudibus extollit, ac *natura optimum, singulaque rerum peritia humanarum, divinarumque, ac summa præstantissimæ cujusque disciplinæ institutione prędītum* dicit. *Inspectis enim diligentissimè, cujusque gentis legibus, & institutis, optima quæque ex illis ad rem, uti sapientia præstabat, deligendo, ac in unum veluti corpus redigendo, eaque pro legibus servanda mandavit, quibus multa quoque adjecit à se inventa, atque excogitata.* Aliquot porro ex iis expensis legibus, illam præ cæteris inculcat, quam à prioribus Legislatoribus omissam dicit: *Liberos Civium omnes in ipso ludo, & primis literarum rudimentis instituendos tradi, conductis ad id mercede, & ære publico præceptoribus.* Hinc ex Charondæ Civis institutione Catanæ Publicum Scientiarum Gymnasium fundatum non abs re alibi lib. 1. cap. 6.

Charondæ Leges.

1. cap. 6. conjectavimus. Charondæ leges commendant quoq; Dionys. Alicarnassensis lib. 2. Plutarchus de Curiositate. Aristotiles Polit. lib. 2. Stobæus serm. 145. Quin Atheneus lib. 14. cap. 3. ex Hermippo tradit: *Inter pocula leges Charondæ canebantur*. Siciliæ, & Italiæ legumlatorem Plato dial. 10. de Republica illum deprædicat; Laudant denique Cicero lib. 2. de Legibus, Seneca Epis. 90. Alexan. lib. 6. cap. 20. Joan. Gerar. Vossius de Sectis Philos. cap. 6. §. 27. aliique innumeri, quorum aliqui cum Charone confundunt, Carthaginiensium legislatore. Illud non omittendum, Catanenses civis sui memoriam cusis numismatibus perennem voluisse, nec non simulacris honorasse, quò illud Jamblici in Vita Pythag. cap. 30. videtur alludere, scribentis: Charondam honorem Diis similem assecutum. Numismata habes Tab. 3. à num. 11. & Tab. 4. num. 1. &c. Statuæ vultus cornutus extabat olim, teste Grosso in decac: chor. 9. m. s. in atrio Civilis Basilicæ, quem periisse anno MDCXCIII. dolemus.

Philiston Medic; & Philos. III. *Philiston Medicus*, & Philosophus eximius, Siculus Catanensis, Eudoxi Cnidii, & Chrysippi Præceptor. Hunc Galenus ex primis Empiricis Medicis fuisse, atque ab ipso Empiricam medicinam nomen accepisse pluribus in locis affirmat, presertim de Victus Rat. in morbis Acut: & in methodo medendi lib. 1. cap. 3. Scripsit ex eodem librum *de Victu salubri*. Quin eidem tribuitur liber sub Hippocratis nomine vulgatus: *de Dieta, & Substitutis medicinis*. Laudant illum Laertius in vita Eudoxi cap. 1. lib. 8. Tiraquellus de vera nobilit: Volaterranus, Ricciolius, Goltzius, Lascaris, Vossius de Philos: cap. 11. §. 28. qui omnes Siculum appellant; Leander Albertus Ennensem facit in Insul. pag. 63. Grossus, & Ragusa

gusa Catanensem dicunt. Floruit Olymp. CIII. Ante Christum CCCLX. circiter. Vide Mongitorium.

IV. *Python* Catanensis Poeta, & Orator, Philippo Macedonum Regi à Secretis, cujus cum laude meminit Athenæus lib. 13. cap. 5. & 7. clarusque dicitur Olymp: CVIII. Scripsit *Agenam* Satyricam fabulam. Joan: Tzetzes Chiliad: 6. n.38. Byzantinum patria vulgavit, ac Demosthenis æmulum, huncque Pythonis faciem exhorruisse scribit, immo etiam in inferno eodem timore exagitatum fabulatur. Mongitor. *Python Poeta, & Orator.*

V. *Philonides* Medicus Catanensis, teste Tiraquello cap. 31. Grosso, & Ragusa. Paccium Antiochenum habuit Auditorem, qui paullo ante Tiberium Cæsarem obiit; hinc Philonidis assequimur ætatem. Illum citat Scribonius Largus de compos: Medicam. cap. 97, qui sub Tiberio eodem vixit, & Marcellus Burdegalensis cap. 20. & 29. Scripsit Tractatum *de Febribus*, & lib. *de Coronis, & Unguentis* ab Athenæo citatum lib. 15. cap. 5. sed hunc Philonidis fœtum fuisse subdubitat Mongitorius. *Phil[illegible] Medicus.*

VI. *Betarmen* Siculus Medicus ex Tiraquello cap. 31. & Catanensis, ut tradit Grossus. Scripsit de Medicina; quo autem tempore vixerit, ignoratur. Laudat illum Author Tract. de medicinis Expertis. qui Galeno tribuitur. Consule Mongitorium. *Betarmen Medicus*

VII. *L. Manlius Sosis*, de quo lib. 2. cap. 5. egimus, Ciceronis familiaris, eique amicitiæ necessitudine conjunctus, paribus denique studiis addictus, uti idem Tullius testatur Epistola ad Acilium Siciliæ Proconsulem, quam ibidem exscripsimus. *L. Manlius Sosis.*

Alios ex nomine recenset Joan. Baptis. de Grossis in suo Decachordo, cum in Idea chord. 9, quam

quam edidit, tum in m. s. sed unde eruerit, me nescire profiteor; quamvis in Diodori Epistolis nonnullos memoratos sciam, quarum, ut alibi dixi, fides suspecta. En illi *Anapharmacus Alexandro magno pretiosus. Arrius Chlorion, oratione disertissimus. Euthymius Cinna, faciendi, & agendi prudentia clarus. Laertius Poeta gravis, & ingeniosus. Ptiphsamus bellicorum operum, quæ manu simul, & ingenio fiunt, opifex eximius. Philander Historicus, Philosophus, & Astrologus maximæ apud Agathoclem Syracusiorum* Regem *opinionis*. Eadem navi fertur *Artemius*, quem Philad: Mugnos in suo novo Laertio Thingophontis Leontini auditorem dicit. Hactenus de Antiquis. Nunc de Scriptoribus post Christum Dominum, quos in Sacros, & Profanos dividimus.

SCRIPTORES SACRI.

S. Agatho Pontifex.

I. SAnctus Agatho Pontifex Maximus, de quo diximus cap. 1. & 3. Scripsit Epistolas duas ad Constantinum Pogonatum, Augustum, quibus Monothelitarum hæresi doctè, fusè, ac solidè refutata, damnatisque primariis ejusdem Sectatoribus Sergio, Cyro, Paulo, Pyrrho, Petro, & aliis, Antecessores suos Rom: Pontifices ab omni erroris labe immunes fuisse expressis verbis declaravit. Tertiam quoque Epistolam ad Archiepiscopum Viennensem dedit. Cœlo illatus fuit anno DCLXXXII. Videsis Mongitorium Bibliot. tom. pr.

S. Leo II. Papa.

II. *S. Leo* Papa *II*, quem cap. 1. & 3. laudavimus, humanis, Divinisque literis græcè, ac latinè eruditus, ac musicis etiam excultus, sacros hymnos, psalmosque in Ecclesia ad meliorem reduxit concentum. Acta sextæ Synodi Generalis pro-

probavit, ac in Latinum tranftulit. Decimo Pontificatus fui menfe obdormivit in Domino, in Vaticana Bafilica fepultus.

Epiphanius Diaconus

III. *Epiphanius* Diaconus Catanenfis, Secundæ Nicęnę Synodo unà cum Theodoro Catanæ Epifcopo interfuit; vicefque in ea Thomæ, Sardorum Archiepifcopi, geffit. Habuit in eodem Concilio fatis prolixum Sermonem laudatorium, qui latinè extat Tom. 7. Concil: Hinc merito à Guilelmo Cave, & L. Elliel Dupin inter Scriptores Ecclefiafticos enumeratur, & in Bibliot. Clar. Mongitorii locum habet: Floruit fæculo VIII.

Anonymi duo.

IV. *Anonymi* Catanenfes. Primus Vitam Sancti Leonis II. Epifcopi Catanenfis encomiafticè fcripfit, quam ex Gręco fermone latinè vertit Jacobus Sirmondus ex Codice Vaticano. Alter Poeta carmen Jambicum in ejufdem S. Leonis laudem edidit. Græcum Auguftinus Floritus Societ. Jefu latinum fecit, ex Bibliot: S. Salvatoris Meffanæ. Habentur apud Octavium Cajetanum tom. 2. SS. Siculor. *Paulus* Diaconus Catanenfis, tefte Joan: And: Maffa, & Salerno in notis Ad ss. Sic. *De Siciliæ per Saracenos deftructione* fcripfit. Extat m. f. in Soc. Jefu Panor. Biblioth.

Mauritius Epifc.

V. *Mauritius* Epifcopus Catanenfis Hiftoriam Translationis Corporis S. Agathæ V. M. è Byzantio Catanam concinnavit. De quo nos cap. 4. & alibi fufius lib. 5. Ubi eamdem exfcripfimus hiftoriam ex Cajetano, Groffo, & Lectionario majoris Ecclef. Catan.

Blanditius Monachus

VI. *Blandinus* Monachus Monaf. S. Agathę ad Hiftoriam Mauritii Auctarium *de Miraculis* ejufdem S. V. & M. compofuit, quod habes etiam apud Cajetanum tom. 1. SS. Sicul: Vivebat fęculo XII. Mauritio Pontifici coęvus.

Henricus Aristippus Archidiac.

VII. *Henricus Aristippus* Catanensis Archidiaconus, Siciliæ Logotheta, græcis, ac latinis literis doctus. Consule hujus Hist: lib. 5. cap. 2. n. 3. Vixit sub Guilelmo I. Siciliæ Rege, Fazello, Falcando, Ragusa, & Grosso celebratus.

B. Angelus Senisius Abbas.

VIII. B. *Angelus Senisius*, cujus cap. 1 meminimus, S. Martini de Scalis Fundator, & Abbas, scripsit: *Expositiones Psalmorum*; *Modum meditandi*; *Expositionem Regulæ S. P. Benedicti*; *Historiam Monasterii S. Martini de Scalis*; *Catalogum Bonorum*, & *Contractuum S. Martini*; *Vocabularium latinum prægrande*. De eo Mongitorius in Bibliot: Pirrus lib. 4. par. 2. Grossus in Decach: Borellus de Præst: Regis Cathol: cap. 70. Cajetanus in Idea. Vuion de Ligno vitæ par. 2. lib. 3. Ego ipse Hist. Sic. Monas: not. 4. Fratrem habuit *Joannem* S. Benedicti de Burgetto Priorem, quod est Monasterium S. Martino obnoxium, cultu in B. Virginem, ac morum innocentiâ clarum, qui in ejusdem Ss. Matris *Assumptionem Rythmum* composuit. Illum commendant Ragusa in Elogiis Bibliot: Sicul: n: CLXXX. Grossus, Pirrus, Tornamira, &c. Extant amborum lucubrationes m. s. in *S*. Martini de Scalis Bibliotheca. Floruerunt sæculo XIV.

Joannes de Senisio Prior.

Nicolaus Ritzonus Carmel.

IX. *Nicolaus Ritzonus* Catanensis, Ordinis S. Mariæ de Carmelo. Hunc malè Pirrus, & Grossus Bitronum cognomento appellant; perperam quoque Gesnerus in Bibliot: & Carolus Dufresne in Glossar: nec non Trithemius de Script. Eccles. Tholosatem dixerunt, quamvis hic sibi contrarius in lib: de Viris Illus. Ord. Carmel. natione Siculum, & Cœnobii Catanensis Alumnum vulgavit. Pet: Lucius Belga Bibliot: Carmel: Passevinus in Appar: Sacr: tom. 2, & Pirrus Catanæ Civem rectius affirmant, Marracius in Bibl: Marian: par.

2. &

2. & Daniel à Virg. Maria Specul. Carmel: to: 2. lib: 5. Siculum etiam, Arnoldus Bostius de Vir. Illus. Carmel: & Joannes Grossus Virid: Ordin: Carmel: Catanensis Conventus filium insuper produnt; Vir fuit acutissimi ingenii, ac doctrinâ excultissimus, S. Theol. Magister, & Siculæ Provinciæ Rector, Bononiæ Humanas, ac Divinas in publico Atheneo scientias docuit, ac pluries cum ingenti plausu conciones in variis Italiæ Urbibus habuit. Virtutibus demum eximiis viro religioso dignis effulsit, claruitque anno MCCCLXXII. Scripsit ex Trithemio, aliisque laudatis supra: *Sermones de Tempore*, *Sermones de SS.*, *Conciones pro Quadrag: tom. 2.* Addit Marracius *Sermones Elegantes de B. Virgine in præcipuis ejus Festivitatibus.*

X. *Honuphrius Maramma* Ordinis Prædicatorum, omni doctrinarum genere instructissimus, Summus Theologus, & Ecclesiastes disertissimus; Martino Regi hujus nominis I. à Secretis Conscientiæ ex literis Catanæ MCCCXCIII. & XCVI, ac sequenti; De eo Grossus in Decach: chor. 2. mod. 7. Ragusa in Bibliot. Vet: Sicul: *Bernardus de Alexandro*, ejusdem Instituti; *Simon de Amatore*; & *Jacobus Venetia* omnes S. Theol. Magistri spectatę eruditionis, ac profundæ scientiæ de Rebus Fideì in Sicilia Quæsitores, uti idem Grossus testatur. *Honuphrius Maramma Dom.* *Alii ejusd. Ordinis Magist.*

XI. *Nicolaus Marinus* Catanensis Ordinis Carmelitici, divinarum rerum scientiâ pollens, post gestam Universæ Siculæ Provinciæ præfecturam, à Bonifacio IX. Apostolicus ejusdem Visitator, anno MCCCXCVI. adscitus, dum ad majora properaret, mortem immaturè oppetiit. De quo Pet: Lucius Belga in Bibliot: Carmel: Ragusa, & Grossus chor. 2. mod. 10. Huic addunt idem Grossus, & Belga: *Hieronymum* à sacra scientia commendatum, qui Calabriæ Provinciam administravit. *Nicolaus Marinus Carmel.*

Thomas de Herbes Episc. XII. *Thomas de Herbes*, de quo fusius cap. 3. Juris Pontificii doctrinâ insigniter excultus, ac Bonifacii IX. Rom. Pont. Referendarius, Syracusanus subinde Episcopus. Commendatur Hier. Ragusa in Sicul. Bibliot. Veteri, Pirro, Grosso, &c.

Nicolaus Tedeschius S. R. E. Cardin. XIII. *Nicolaus de Tedeschi* S. R. E. Cardinalis, cujus cap. 3. vitam per compendium dedimus. Scripsit: *In* v. *Decretalium libros Commentaria*; *Coment: in Clementinas. Consilia* CCXXVI. *Quæstiones* VII. *Subtilissimas. Repetit: in Cap: Per tuos de Arbitriis. Processum Judiciarium. Thesaurum Singularium in Jure Canonico Decisorum* in Basileensi Synodo scriptum, & Alphabetico ordine digestum, ex Trithemio, Vuarrone, & Labbeo *De Concil: Basil. Tractatum* ex Gensero, Bellarmino, Oldoino, & aliis apud Mongit: *De Authoritate Papæ, & Imperatoris, & Veritate, & Instit: Conciliorum. Commentarium in Gratiani Decretum*, quod non absolvit. *Quæstionem in Parmensi Gymnasio disputatam. Disputationes varias. Decisiones Rotæ Romanæ. Conclusiones Glossarum Clementinarum*. Illud hìc animadvertam, in aliquot Consiliis subscriptum Nicolaum nostrum hoc pacto legi: *Nicolaus Abbas Panormitanus*, quæ sane Consilia edita ab ipso antequam Panormi infulis donaretur. Hinc de Nicolai Patria Panormitani contendunt; At facilè potissimum hoc illorum argumentum Carrera dissolvit: Id enim nomen Amanuensium arbitrio in ea Consilia irrepsit. Nicolaus certè, qui se Catanæ ortum profitetur, sibi ipsi contrarius esse haud potuit, subscripsitque *Abbas*. Librarii postmodum, qui illum Panormitanum Archiepiscopum claruisse sciebant, Urbicum nomen addidere; Hinc factum, ut vulgo Nicolaus *Abbas Panormitanus* audiret. De eo innumeri Authores cum laude meminerunt.

Ejus Patria.

Carre-

Carrera integrum 11. librum de Gente Tedetchia, & Grossus Opusculum titulo *Abbas Vindicatus* ejusdem vitæ edisserendæ dicarunt; eosdem hinc consule.

XIV. *Joannes de Piscibus*. Hunc quoque cap. 3. à Theologicis, & Philosophicis scientiis insignem, eloquentiâ, & eruditione clarissimum, commendavimus, legatumque Alphonsi Regis ad Concilium Basileense, ac demum Catanensem Episcopum egisse scripsimus. *Antonius Piscis* ejusdem germanus frater, Ordinis Minorum, & ipse S. Theol. Magister, ac Siculæ Provinciæ Moderator, Martino V. Rom. Pontifice pretiosus, à quo cumulatos favores impetravit; unà cum Joanne fratre Concilio Basileę interfuit, ibique eximiam suam doctrinam probavit. Obiit in Panormitano Cœnobio, cujus sepulchro hæc addita inscriptio, quæ apud Ragusam in Bibliot: extat num. 31. *Reverendus Pater Antonius de Piscibus Catanensis, Ordinis Minorum In Sicilia Provincialis, Germanus Frater Tum Justissimi Simeonis Sardiniæ Proregis, Tum Eloquentissimi Joannis Episcopi Catanensis; De Theologorum Senatu Benemerentissimus, Concilio, Cui Interfuit, Basileensi Acceptus; Panormi, Ubi Diu Vixit, Mortuus* 1421. 8. *Kal. Februarii In Hoc Tumulo sepelitur*.
Ejus meminit Grossus chor. 2. mod. 8. & Cagliola Explor. 3. man. 1.

Joannes de Piscib. Episc.

Antonius de Piscib. Minor.

XV. *Antonius Fazanus* Ordinis Prædicatorum Magister, divinarum, humanarumque rerum notitia spectatissimus, magnus, Alphonso Rege testante, Theologus, utque ipsi à sacra esset aula delectus, ex literis die XIV. Januarii MCCCCXLV. *Nicolaus de Lucia* Carmelitarum Instituti, sacra doctrinâ, atque eloquentiâ egregiè excultus, sedulaque in rebus gerendis dexteritate clarus, plurimis

Antonius Fazanus Domin.

Nicolaus de Lucia Carmel.

idcirco legationibus honestatus, quarum precipua ad Joannem Aragonum, & Siciliæ Regem memoratur, qua unà cum *Antonio Morerio, & Jacobo de S. Philippo* Catanensibus, ejusdemque Religionis Magistris, ita laudabiliter functus est, ut illum pius Princeps sibi à secretis conscientiæ adsciverit, utque à sacra esset aula anno MCCCCLXVI. decreverit. Floruit non diu post in Carmelitico etiam Cœnobio *Nicolaus Asmundus* clarissima gente Catanæ exortus, eximius Theologus, piisque moribus insignis, Nicolai V. Rom. Pontif. minor Pœnitentiarius, ut ex Episcopi tabulario ad annum MCCCCXLIX. eruit Grossus. Naturæ concessit quadriennio post, Catanæ in suo Monasterio sepultus.

Nicolaus Asmundus Carmel.

XVI. *Joannes Paternionius* Archiepiscopus Panormitanus, de quo nonnulla cap. 3. prælibavimus, decretorum Magister, in quorum scientia profundè versatus, solidissimis doctrinæ splendoribus ita refulsit, uti Mongitorius scribit, quod à Siculis omnibus Jurisconsultis merito *Fundamentalis Doctor* appellatur. Ut Ecclesiæ suæ jura defenderet, scripsit: *Allegationes de Primatu Ecclesiæ Panormitanæ*. Illas citat Francisc. Baronius de majes. Panor. lib. 1. cap. 3. Joannes M. Amatus in notis ad Orat. 1. num. 38. Pirrus servatas apud Philippum Parutam m. s. dicit; Mongitorius verò easdem vidisse testatur penes Franciscum Paternionium Ragusanum. Claruit an. MDXI.

Joannes Paternionius Archiepisc.

XVII. *Stephanus Bolanus*, Ordinis Prædicatorum Magister, eruditione, ac dicendi copia clarissimus, in patrio Gymnasio ad plures annos Publicus sacræ Scientiæ Professor, demumque Theologorum Collegio in eadem Academia Præfectus, vulgo *Decanus*. Floruit anno MDXXX. Huic coævi memorantur à Grosso chor. 2. mod. 7. *Damianus Tabusius, & Ambrosius* ejusdem Instituti Alumni,

Stephanus Bolanus Domin.

Alii Ordin. Præd. Mag.

ac S. T. magisterio, humanisque scientiis insignes, qui Romæ, Neapolis, ac Catanæ demum easdem summo audientium plausu, tradiderunt. Floruit per idem quoque tempus *Joseph Platamonius* Blasci filius, ex Fratribus etiam Prædicatoribus, divinis literis, ac sacra præsertim eloquentiâ excultus, dignus, qui sollemni die Inaugurationis Caroli V. in Romanorum Imperatorem, in Principe Bononiensi templo, coram Clemente VII. Rom: Pont; eodemque Cæsare, ac magna Procerum frequentia, sermonem è sugestu haberet, atque ab omnibus ingenti cum plausu illius verba exciperentur. Ex m. s. Chronico.

XVIII. *Vincentius de Leone* ex Ordine Sanctæ Mariæ de Carmelo spectatæ doctrinæ vir, Patrii Theologorum Collegii anno MDXXVIII. Decanus. *Petrus Murabitus* sacra etiam divinarum rerum scientiâ præstantissimus, optimis vitæ moribus, religiosaque disciplinâ commendatus. Claruit anno MDXLVII. Laudantur à Grosso chor. 2. mod. 10. *Vincentius de Leone Carmel.*

XIX. *Matthæus Silvagius*, vulgo *Gangarossa*, Catanæ honesto loco natus, Ordinis Minorum, quos Observantes appellant; eruditione clarissimus, in gravioribus studiis mirè exercitatus, Mathematicis, ac præsertim Astronomicis, Theologicis, Philosophicis, humanisque literis, Poesi cum Latina, tum Etrusca insigniter instructus; quas quidem scientias sodalibus suis magna nominis famâ, ac in publica Catanensi Academia per plures annos tradidit, atque ad supremam vitæ lineam professus est. Claruit ex Pirro, Grosso, & Vuadigno anno MCCCCXC. sed ex ejus editis operibus ad annum saltem MDXLII. superstitem fuisse constat. Illum laudant Passevinus in Appar. Soc: tom. 2. Franc: Gonsaga in Hist. Seraph. Tossignanus Hist: Seraphicæ lib. 9. aliique. Multa edidit, quorum tituli sunt. *Matthæus Silvagius Minor.*

Ejus Opera li sunt. *Labyrinti duo de mundano, & divino Amore. Apotheca divini Amoris. Brevis Expositio, & Lectura super octo libros Physicorum Aristotelis.* Opus *de nuptiis Animæ cum Christo; de Conviviis spiritualibus; de Persuasionibus falsis Sathanę; de Casu Animæ in peccatum; de Lamentationibus Hieremiæ; de Fletu Animæ; de Regimine post Conversionem; de Electione Dei & Hominum, & Prædestinatione Sanctorum. De Colloquiis Trium Peregrinorum. De Victoria Verbi Dei contra Hebręos.* Italicè *Modo di vivere secondo la Divina Volontà, sive Disciplina salutis.* Alia scripsisse, quæ latent, testatur Grossus; ipse verò Silvagius Colloq: Trium Peregr. cap. 33. opus suum citat inscriptum: *Tractatus de Origine mundi.* Vixit ad multam senectutem.

Hieronymus de Franchis Domin. XX. *Hieronymus de Franchis* Catanensis, Ordinis Prædicatorum, Patrii Theologorum Collegii Decanus, quo munere multos jam annos egregiè perfunctus, ingenii, ac doctrinæ laude supra omnem opinionem effulsit. Morum insuper gravitate cunctis gratissimus diem clausit communi civium męrore, anno MDLXI. *Paschalis Augusta Carmel.* Illi *Paschalis Augusta* in Collegii præfectura successit. Fuit Carmelitici Instituti, literisque, ac virtutum studiis à pueritia addictus, magistralique laurea donatus, eo honore in patria dignus est habitus, quem eximia condecoravit doctrina, ac vitæ integritate reddidit illustriorem. Ab his haud disjungendi *Petrus Honoratus* *Alii Theologi* etiam Carmelita, vir in scholasticis disceptationibus præcipuus, nec vulgari eruditione, ac facundia præditus; Et *Augustinus la Mora* ex Prædicatoribus, qui in generalibus Ordinis Comitiis Avenione anno MDLXI. habitis, Sacræ Theol: Magister renunciatus, rursusque eo honore in Patrio Lyceo insignitus, à morte Pa-

schalis

fchalis Augustæ Theologici Collegii Decanus adſciſci meruit, ſuiſque pluries præfuit. Conſule Groſſum in Decach: chor. 2. Memorantur denique eidem *Hieronymus* ... Eremitarum S. Augustini S. Theol: Doctor, ſpectatæ virtutis, & eruditionis, eximiuſque Verbi Dei Præco, qui religioſis operibus cumulatus anno MDLXV. è vivis abiit; Et *Andreas de Urſo* ejuſdem ordinis Eccleſiaſtes æquè, ac Theologus, magiſtrali etiam laurea inſignitus, qui anno MDLXI. claruit. Hos laudat Bonav. Attardus in Sicula monaſ. Hiſt. Ord. S. Aug.

Paulus Gravina Abbas

XXI. *Paulus Gravina* Caſinenſis, S. Nicolai Monachus, ex ſatis nota familia. Ordini ſeſe addixit x. Februarii MDLXXIX. uti alibi diximus, ſacriſque ſtudiis, ac humanis, Poeſi præſertim acre ingenium dicavit. Caſini *Tractatum de Viro Bono* anno MDLXXXIX. ſcripſit, mox Theologicam S. Thomæ Aquinatis Summam Hetruſco carmine, tertio rhythmo, ut vocant, cecinit, novoque argumento, ac penè inuſitato, floribus poeticis ſacram ſcientiam ornavit, & Eminentiſ. Cardin. Alexandrino anno MDXCV. nuncupatum opus voluit, ut Epiſtola conſtat in S. Benedicti Mantuani Cœnobio ſcripta. Primam Secundæ etiam ejuſdem Angelici in compendium redactam ſoluto carmine Italico, ac in ſeptem Cantica diſtributam concinnavit. Quæ omnia in S. Proculi Bononiæ Bibliotheca m. ſ. aſſervari Clariſſ. Marian. Armellini in Caſin: Bibliot: teſtatur. Deceſſit in ſuo Monaſterio.

Vincentius Cutellus Epiſ.

XXII. *Vincentius Cutellus*, de quo alibi, Catanenſis Epiſcopus, & Civis, dum Romæ vacaret, ex Vaticanæ Bibliothecæ codicibus *Catanenſium Pontificum Catalogum* ſummo labore compoſuit. Extabat in S. Nicolai de Arena Bibliotheca ex dono Valeriani de Franchis, cui Vincentius opus direxerat, hodie verò penes Innocentium Roccaforrem aſſervatur. De Vincentio Mongitorius.

Nicolaus Stizia Episc.

XXIII. *Nicolaus Stizia* nobilis Catanensis, de quo cap. 3. Episcopus Cephaleditanus legali doctrina cumulatus, poesi Latina, & Etrusca satis excultus. Scripsit Tractatum, *quod Clericorum exemptio, rerumque Ecclesiasticarum sit de Jure Divino.* Italicè *de Martyrio, & Translatione S. Agathæ V. M. Catan: Poema sacrum. Epigrammata.* De eo Carrera lib. p. vol. 2. Grossus chor. 9. Mongitorius in Bibliot: aliique superius allegati. Ejusdem Epitaphium in Eccles. Cephaled: hæc refert.

Illustris: Et Reverendis: D. Nicolai Stiziæ Nobilissimi Catanensis, Abbatis Novælucis, Archimandritæ Siciliæ, Et Calabriæ, Episcopi Cephaludensis, Miræ Pietatis, Integritatis, Et Religionis Antistitis, Ceteris Maximis Virtutibus, Ecclesiasticis Dignitatibus, Etiam Monarchiæ In Regno Ornatissimi, Cumulatissimique Viri, Romæ, Ac Hispaniæ Celeberrimi, Pii, Optimi, Vigilantissimi Præsulis, Æterna Memoria, Ac Æmulatione Dignissimi Mausoleum. Obiit XVII. *Febr. An.* MDLXXXXV. *Suæ Ætatis* LV. *Cura Alta Gregis, Cura, Spes Inopum.*

Bernardus Colnago Soc. Jes.

XXIV. *Bernardus Colnagus* nobili genere Catanæ natus, Mediolano oriundus, Societatis Jesu doctissimus æque, ac piissimus alumnus, cujus egregia facinora cap. 2. descripsimus. Fuit indolis penè admirabilis, aptumque ad omnes scientias ingenium præsetulit, quare adhuc adolescens Virgilii Æneidem invertendo, omnem ad Christi Domini gesta exprimenda concinnavit, varia poemata, sacra vel maximè cecinit, Orationes composuit, annoque ætatis XIV. Philosophiæ studia absolvit. In Societatem admissus, Theologicis rebus, ac sacræ eloquentiæ summa animi contentione incubuit; hinc Messanæ primùm septennio, mox

Nea-

Neapolis ad annos XI. humanas, divinasque facultates est interpretatus, concionesque in præcipuis Italiæ Urbibus habuit, tanto plausu, ac fructu, ut sæpius in plateis, apertisque campis declamare cogeretur. Studiorum Præfectum Neapolis, librorumque Censorem Romæ egit, ubi non vulgari doctrinæ opinione floruit, caussamque Patriæ Sanctæ Agathæ V. M. strenuè propugnavit. Bernardi, quæ extant, sunt: *Brevis Expositio rationum, quibus ostenditur B. Agatham V. M. ortam, & passam Catanæ fuisse. Responsio ad eos, qui Beatam Agatham Panormi ortam esse contendunt. Responsio Catanensium ad testimonia allata ex Græcis scripturis. Falsimonia, quibus nititur causa contraria*. Habentur editæ in memor: Hist. Catanæ Petro Carrera authore tom. 2. earumque servat autographum Josephus Vincius Protopapa Messanensis. Prodiere etiam vel tacito, vel expresso Colnagi nomine, complura ex Alegambe in Bibliot: Societ: quæ inter: *Liber Carminum in obitu Ducis Clivensis*. Reliquit *Tractatum de Visitanda Diœcesi*. Ex ejus vita scripsisse constat: *Meditationes de Passione Domini. Carmina de Christi Domini Cruciatibus. Anagrammatum Centurias. Elegias de SS. Eucharistiæ Sacramento. De Incendiis Ætnæ à sacro B. Agathæ velo extinctis Poema. In Cinthium Aldobrandinum S.R.E. Cardin. Poema. In Principem Carolum Fridericum Poema. In D. Antonium Patavinum, aliosq: SS. Elegias. Carmina, & Epistolas quamplures.* Extabant denique penes Vincentium Auriam m. f. *Annotationes in 2. & 6. Æneidis Virgilii libros. Opusculum de universo genere pecuniæ*. Laudant Bernardum Bibliot: Societ: Jesu; Joannes Nadasi, Invegius, Franc: M. Maggius, Grossus, Pirrus, Jo: Bapt: Bivius, Joannes Rhò, Antonius Natalis,

lis, Lireus, Jo: Bapt: Ricciolius, apud Mongitorium, aliique, quos referre longum esset.

Ferdinandus Paternionius

XXV. *Ferdinandus Paternionius*, magnum Provinciæ lumen, meritò ab Aguilera appellatus, de quo etiam cap. 2. Humaniores literas Panormi tradidit, Romæ sub Francisco Toleto Præceptore sacras didicit, & Mathesim sub Christophoro Clavio; quas in Siciliam redux, Panormi maxima novitatis admiratione, commentariis ornavit. Non pauca doctrinæ ejus monumenta numerantur, quorum nonnulla extant, alia perierunt. Extat *Series Siciliæ Regum à Rogerio Comite ad Philippum II.* Latinè contexta, cujus autographum penes Hyacinthum Paternionium Castellum ex Carcacis Ducibus. Italicè etiam redditam habes, quæ autographa apud Joannem Amicum Statellam servatur. *Vita S. Teresiæ* à Francisco Ribera Hispanicè edita, ab eo aucta, & Italicè conversa in Bibliotheca Societat: Jesu Catan: Interierunt ruinis anno MDCXCIII. consepulta *Liber de Regno Dei. Comment: de Christiana Doctrina, & moribus in plura volumina digesta. Orationum varii generis Codices quamplurimi. In pleraque S. Thomæ opera Adnotationes; & Comment: Ex universa Mathesi prolixiora volumina. De Jure Philippi Regis ad Lusitanum Regnum. Commentar: in Quæst: 27. 3. Partis S. Thomæ de Sanctificatione Beatæ Mariæ Virginis. Explicatio Casuum Reservatorum in Bulla Cænæ. De diversa Mathesi Tom. 2. De Horologio Hemisphærico Concavo liber. Introductio ad Dialecticam. Orationes in Evangelia; Orationes Annuæ Dominicales. De Origine, Stemmate, & Cognomine Famil: Paternioniæ. Commentarius de Siciliæ Monarchia*, quem jussu Philippi II. accuratissimè elaboravit. Meminerunt Ferdinandi Joannes Nadasi, Laur. Finiclarus, Virgilius

Ejus libri.

lius Ceparius, Ribandiniera, Jacob: Riela, Joseph Matina, Hieron: Regius, Aprilis, Grossus, Pirrus, Mongitorius, Albertus, Aguilerus.

XXVI. *Valerianus de Franchis* Ordinis S. Benedicti, Congreg. Casinensis, in S. Nicolai Cœnobio professus, divinis, humanisque literis apprimè instructus, ac mathematicis etiam eruditus, nec non morum puritate conspicuus. In patrio Catanensi Lyceo, atque in Parmensi Academia S. Theologiæ laurea honestatus, doctrinæ radios per Siciliam, atque Italiam emisit, & S. Salvatoris Ceramensis opidi Prior claruit. Ejus liberalitati adscribunt pulcherrimum illud ex Alabastrite Signum S. Agathæ V. & M. Catanensis in centro illius ergastuli situm, ubi eadem Virgo spiritum Deo reddidit, uti alibi diximus. Scripsit librum cui titulus: *Corona Benedictina Ss. Trinitatis, & Beatæ Mariæ Virginis*, qui m. s. in folio in ejusdem S. Nicolai Bibliotecha asservatur. *Catanæ Historiam* duobus tomis comprehensam ab Octavio de Archangelo compositam, in meliorem ordinem redegit, *Vitasque Catanensium Pontificum* ab se lucubratas Tom. 2. inseruit; Extabat autographum in eadem Bibliotheca, nunc penes Innocentium Roccafortem, ab anno MDCXCIII, estque in illa Exemplar ab autographo descriptum. Obiit Valerianus Catanæ anno MDXXV. Commendatur Grosso in Decac., Priviteræ in Annal. Cat; Mongitorio in Bibliot. Sicula, & Armellino in Bibliot. Casinensi. De eo etiam Ego in Mon. Sicil. Hist. not. IV. Hujus Frater *Joannes de Franchis* vitæ innocentiâ, ac doctrinæ laude præcipuus, Eremi S. Hieronymi dudum incola, mox collegialis Ecclesiæ, ac Templi principis etiam Canonicus, Sacræ Theolog: in Catanensi Gymnasio Magister, atque anno MDCVII. sede vacante, ejusdem Urbis,

Valerianus de Frachis Benedict.

Joannes de Frachis

ac Diœcesis Generalis Vicarius, memoratur Grosso chor. 2. mod. 14. Marracio in Bibliot. Mariana par. 1. & Mongitorio ob librum editum sub titulo *de S. Maria de Andria lib.* 3. Neapolis 1606. apud Tarquinium Longum.

Joannes Petignanus Carm. XXVII. *Joannes Stephanus Petignanus* Catanensis, Ordinis Carmelitarum Magister, haud obscuri nominis, nec vulgaris scientiæ vir, Anglicanæ Provinciæ semel, bis Siculę S. Alberti moderator, Generali Priori à secretis, laudatus denique justitiæ cultor. Decessit immaturè MDCXXV. Grossus in decachordo chor. 2. mod. 10. Ubi etiam commendat *Felicem de Leonibus*, *&* *Jo: Baptistam Minà*, qui Provinciam variis temporibus gubernarunt, atque à doctrina, rerumque agendarum prudentia celebres fuere. Idem *Joannis de Auro* Eremitarum S. Augustini doctissimi Magistri meminit, qui à sacra eloquentia etiam illustris anno MDCXXVII. mortem, dum ad majora properaret, oppetiit. Denique *Matthiam Thomasellum* S. Theolog: doctorem, Trinitariæ familiæ Redempt. Captivorum, Provinciis Italiæ, Sardiniæ Præfectum memorat, qui anno MDCXXIX. muneri immortuus, magnum sui desiderium reliquit.

Alii ejusdem Ordin.

Benedictus Capunnettus Minim. XXVIII. *Benedictus Caponnettus*, Minimorum S. Francisci Paulensis instituti eximius Theologus, ejusdemque Scientiæ in patrio Atheneęo Magister, atque ad plures annos publicus Interpres, Provinciæ Messanensis Corrector, ac pro Italia Generalis *Collega*, qui dum munus illud exequitur Catanæ anno MDCXXIV. IV. Kal. Apriles mundanis valedixit. Laudatur à Grosso locis citatis. *Bonaventura Lucca* ejusdem ordinis, quem Philosophiæ, ac sacræ doctrinæ in Catanensi Academia pluries, magna nominis fama, atque audientium plausu Professorem egisse, ac Messanensi Provinciæ

Alii viri docti.

ciæ Præfectum, in supremo demum Fidei Quæsitorum Tribunali *Qualificatorem* idem Grossus ibidem mod. 12. prodit. Sed claudant seriem *Scipio Mollica* in patria Academia S. Theol. Interpres, *Raymundus Patania*, *Joseph Ferrara*, *Raphael Cannavus*, & *Franciscus Tepes*, omnes Ordinis Prædicatorum S. Theolog. Magistri; linguæ facundiâ, mentis acumine, ac doctrinæ præstantiâ insignes, quos idem Grossus laude prosequitur, ac mod. 7. commendat.

XXIX. *Octavius Sapientia*, de quo cap. IV. Scripsit Hispanicè *Tractatum de Turcarum moribus, de Situ Urbis Constantinopolitanæ, Regimine, Palatio, Consilio, deque quorumdam Christifidelium martyrio*. Matriti MDCXXII. Effulsit Abbas S. Nicolai *de Fico* Ordinis S. Basilii, opusq; Philippo IV. Catholico Regi dicavit, pro cujus editione bis centum aureos accepit. De eo Pirrus lib. 4. Nicolaus Antonius Bibl. Hisp. par. 2. Grossus in Decach: & Mongitorius. *Octavius Sapientia*

XXX. *Joannes Baptista Carambia* Catanensis, honestis parentibus natus, Juvenis Tertio Ordini S. Francisci sese addixit, omnibusque scientiis acre ingenium devovit, tali, ac tanto fructu, ut in omnibus æquè instructissimus evaserit, passim idcirco *Naturæ miraculum* vocatus. Hebraicam, Græcam, Latinamque linguam egregiè calluit, Sacram Theologiam pluribus annis in Patrio Gymnasio, & alibi docuit; Romæ an. MDCXXVIII. ac rursus MDCXXVIII. in generalibus Ordinis sui comitiis triduo, publicis Theologiæ, Philosophiæ, Mathesis, Medicinæ, ac S. Scripturæ Thesibus problematicè propugnandis, contra quoscumque solus vacavit, summumque omnium plausum in principe mundi Urbe est consecutus. Fuit ipsi memoriæ vis singularis, quidquid legeret, quidquid audiret, *Jo: Baptist. Carambia Minorita.*

diret, tenaciter retinebat; hinc, ut vanam cujuspiam jactantiam retunderet, auditam ab eo publicè concionante orationem integram exscripsit, atque à se compositam effinxit, ne porro Concionatoris opinio vilesceret, id memoriæ beneficio ab se factum detexit. Extra Religionis claustra aliquandiu vixit, sed ad illa regressus, mortalis tandem anno MDCXLVI. esse desiit, Catanæ in suo Sancti Nicolai *de Trixini* Cœnobio sepultus. Scripsit teste Bordonio in Chron. 3. Ordin: Cap. 25. insigne volumen *super Sacram Scripturam*, quod m. s. in Casinensium Bibliotheca servabatur; Laudatur à Grosso mod. 8. Jo: Pet: Crescentio in Præsid. Rom. lib. 3. narr. 2. Brancaccio de Arte memor: cap: 3. Bordonio citato, & Mongitorio.

Gregorius Paternionius Bened. XXXI. *Gregorius Paternionius* in S. Nicolai Catanæ monasticum S. Benedicti amplexus institutum anno MDCX. severioribus scientiis strenuam navavit operam, moribusque eximiis animum excoluit: hinc per omnes gradus ad Prioris evectus dignitatem, quum per aliquot annos operibus religioso viro dignis eam illustrasset, fato immaturò Catanæ in suo Cœnobio decessit anno MDCXLIV. Scripsit Librum *super Cantica Canticorum*, ubi Militantis Ecclesiæ, ac Triumphantis honores expendit. Servatur in ejusdem Monasterii Bibliotheca. De eo nos in Monas. Sicil. Hist. not. IV.

Justinus Fimia Soc. Jes. XXXII. *Justinus Fimia*, nobilis Catanensis, Societatis Jesu alumnus, doctrinâ, ac vitæ integritate clarus; Obiit Panormi MDCXLI. Edidit *Orationem pro anniversaria Studiorum instauratione*.

Alii editis operibus. Laudatur à Mongitorio in Bibliot: *Hyacinthus Politus*, Ordinis Minimorum, Patria Catanensis, Theologus, ac Concionator disertissimus, floruit anno MDCXLIII. Scripsit Italicè sermonem in Joannettini de Aurea S. R. E. Card. Panormitani Archiepis.

chiepisc. morte, sub titulo: *Aquila Nera*, de quo idem Mongitorius. *Carolus Paternionius* è Societate Jesu, claruit literis insigniter excultus. Edidit Orationem hoc titulo inscriptam: *Panormus utriusque Palladis Regia, ad Senatum Panormitanum in Anni literarii recursu* anno MDCXLIV. Consule Mongitorium: *Vincentius Finochiarus* ejusdem Societatis vir doctus, & morum probitate conspicuus ab laudato Mongitorio appellatus, in Italicam linguam vertit, ac Romanis typis dedit Hieremiæ Dressellii *Nicetam, sive Castitatis Triumphum, & Cœlum Beatorum Patriam*. Commendat denique idem Mongitorius *Gesualdum Guerrerium* genere nobilem, Carmelitam Primi Instituti, à doctrina, & pietate, qui Romani Cœnobii Montis Sancti Vicarium egit, ediditque libellum, cui titulus: *Deplorationes sacræ Animæ pœnitentis*. Ejus etiam meminit Daniel è B.V.M. in Speculo Carmel: tom. 2. par. 5. lib. 5. num. 3738. Obiit Romæ MDCXLIX.

XXXIII. *Franciscus Blanditius* Societatis Jesu, Catanensis, Græcè, ac Latinè eruditus, ab altioribus scientiis, ac virtutum ornamentis laudatus. Latinam fecit *Funebrem Orationem Petri Siculi in S. Athanasium Methones Episcopum*, quam edidit Bollandus ad diem 31. Januarii. Opus etiam doctissimum composuit *de Patria B. Agathæ V. M.* quod m. s. in Catanensi Collegio asservatur. Floruit anno MDCLVI. De eo Mongitorius in Bibl: qui perperam ex Invegio, & Salernio corruptam edidisse tradit Blanditium, Petri Siculi Orationem, uti alibi adnotavi. *Franciscus Romanus* S. Theol: ac Juris utriusque in Catanensi patrio Gymnasio Doctor, eruditionis, & eloquentiæ laude floruit, ac Panormitanæ Ecclesiæ Canonicus, Judex, & Synodalis Examinator, effulsit.

Franciscus Blanditius Soc. Jes.

Franciscus Romanus Can.

Demumque ex Regia munificentia S. Mariæ *de Burgitabis* Prioratu insignitus, Panormi Idibus Septembribus obiit, anno MDCLXI. in S. Mariæ Novę Ecclesia sepultus. Ejus meminit Marraccius in Bibliot: Marian. par. 1. commendantque virtutes Franc: Scorsus in proęmio ad Homil: Theophanis Ceramei §. 3. Raynaudus, & Michael Frazetta apud Mongitorium, qui ex Raynaudo de Var. Christ: Hist: cap. 39. Drepanitanum enarrat Prodigium. Quum enim Franciscus an. MDXLI. Drepani, in Ecclesia Congregationis Oratorii Verbum Dei disseminaret, omnesque ad Concionem de Inimicorum dilectione aliquando advocasset, ut ad comparationem nocte præcedenti conceptam, mane, perorando, advenisset, quod scilicet, sicut Templi fornix si super coactam turbam rueret, ita ei noceret, ut seipsum quoque destrueret. Mirum dictu! vix verba compleverat, Templi fornix corruens, quincentas penè mulieres contrivit, viros etiam nonnullos oppressit, plures, ipsumque Franciscum luxavit, Urbem denique luctu, ac terrore simul implevit. Scripsit porro: *Miracula Imaginis B. Mariæ Virg: non manufactæ Tauromenii.*

Joan. Bapt. de Grossis Canon. XXXIV. *Joannes Baptista de Grossis* Catanæ anno MDCVI. lucis usuram accepit, literarumque studiis à pueritia addictus, adeo mirabiles in iis progressus fecit, ut XVII. ætatis anno S. Theol. laureâ in patrio Gymnasio meruerit insigniri. Juris utriusque scientiæ totum se devovit, ejusque lauream mox etiam assecutus; aliquandiu Pontificias sanctiones in publico patrio gymnasio docuit; Episcopis ob doctrinæ profunditatem, morumque innocentiam apprime charus, Examinator Cleri, ac curiæ Ecclesiasticæ *Assessor*, Camilli demum Astalli S. R. Eccles. Cardin. in sacræ Visitationis decursu Vicarius fuit, & Collegialis Ecclesiæ

Cano-

Canonicatum obtinuit. De patria optimè meritus, ut facram, profanamque ejus Hiftoriam illuftraret, nullum non movit lapidem, nullis pepercit laboribus, tabularia omnia, veterefque memorias fcrutatus, abdita ejufdem arcana penetravit, ac varia illius decora in tenebris fquallentia, ad veritatis lucem eduxit. Ab eloquentia, eruditione omnigena, in feverioribus difciplinis notitia, vitæque demum integritate clariffimus, Catanæ xx. Augufti MDCLXVI. mortale exuit marmoreo farcophago, ac ftatua honoratus cum infcriptione.

Joannes Baptifta De Groffis S.T. Et U.J.D. Protonotarius Apoftolicus, Ac Regiæ, Et Infignis Collegiatæ Ecclefiæ Canonicus, Ut Mente, Priufquam Corpore Ingrederetur Saxeam Hanc Molem Sibi Jamjam Morituro, Vivens, Moriens Pofuit, Anno MDCLXVI. Obiit xx. Augufti Ejufdem.

Offibus erexit tumulum, famæque figuram
Marmoris, ut celebrent Saxa Joannis opus.

U.J.D.D. Sanctorus Oliva Ecclefiæ Cathed. Inde Canonicus, Nepos Amantiffimus An. MDCLXXXIV.

Idem Sanctorus Catanæ Authorum Catalogum edidit, qui Groffi doctrinam laudum præconiis celebrant. Opera verò funt. *Catanenfe Decachordum, five noviffima Catanenfis Ecclefiæ notitia. Tom. I. & II. Abbas Vindicatus, five D. Nicolai de Tudifcis Sic. Catan. S.R.E. Card. &c. Vita. De Appulfu Reliquiarum S. Agathæ V. M. Callipolim Conjectatio. Catana Sacra, five de Epifcopis Catan. Agatha Catanenfis, five de natali Patria ejufdem Differtatio Hiftorica Apologetica.* Et hæc quidem Hiftorica, typifque cufa: m.f. verò *Gentilitia Familiæ Celeftris nobilitas. Agathb Reftitutus, Jura Omnia Regiæ, atque Infignis Collegiatæ S. Mariæ de Eleemofyna. Catanenfis Decachordi integræ Chordæ* 8. 9. & 10. Sed hęc ultima, *Ejus Operà*

ultima, eadem ac *Catana Sacra* publici juris facta. *Annales Catanenses*; *Diarium Catanense*; *Liceum Catanense*; Hoc prorsus idem cum Chorda IX. Ex Annalibus, & Diario vix primæ lineæ, cum majori Operum m. s. parte servantur ab Innocentio Roccaforte; Extabant olim in Bibliotheca Seminarii Catan: ex dono Sanctori Olivæ. *Jura Ecclesiæ Collegiatæ* in hujus Archivo custodiuntur. Jamverò legales Lucubrationes his titulis notantur: *Theoripraxis ad Consti: Pragmaticales Comitis Castrensis Sicil: Proregis. Controversiarum Forensium Judiciorum Tom. I. Comment. ad Caput 78. Regni Caroli V. Cæsaris de Contract: per minores 18. annor. non celebrandis &c. Tutamen veritatis trium Proposit. in eodem Comment:* m. s. *Relectio in §. divi Severus, & Antonius de L. Filius Familias ff. de Legatis primo, qua universa Fideicommissorum materia breviter explicatur.* Videsis Mongitorium in Bibliotheca Sicula, & laudatum Olivæ opusculum.

Balthassar Morabitus Benedict. XXXV. *Balthassar Morabitus* S.Nicolai Monachus, eruditione, ac eloquentiâ clarus, genere nobilis, insignem composuit librum, cujus est titulus: *Doctrina Politica Christiana.* In eo ex innumeris exemplis à sacris, profanisque historiis summo studio petitis, Regulæ concinnantur ad Catholicorum Principum mores rite efformandos. Extat autographum in Tabulario ejusdem Monasterii, Exemplar verò in fol: in Bibliotheca asservatur. Laudat Balthassarem Clariss: Armellini, atque Abbatia insignitum, sed perperam dicit. Obiit Catanæ in suo Monasterio.

Andreas Lao Carmelita XXXVI. *Andreas Laus*, sive à *Cruce*, Catanensis, Ordinis S. Mariæ de Carmelo, Theologus præstantissimus, & Ecclesiastes numeris omnibus absolutus, Idibus Februarii MDCXIV. honestis paren-

parentibus natus, atque in Cœnobium admissus, gravioribus scientiis se imbuit, quas virtutum splendoribus, ac vitæ candore illustravit. Philosophiam, & Theologiam diu sodalibus suis tradidit, ac Studiis Præfectus in Neapolitana Carmeli Academia, nec non laurea magistrali donatus, in publico mox Patavii gymnasio sacrarum literarum Professor, eximiam eruditionem detexit. Florente ætate regendæ Siculæ S. Alberti familiæ admotus, Generalem, ut ajunt, Reformatorem, & Commissarium in eadem provincia egit. Arctioris vitæ desiderio ad Carmelitas Excalceatos, quum ann. MDCXLVII. sub nomine *Andreæ à Cruce* transisset, orta inter utrumque institutum controversia pro tanto viro sibi adjudicando, ad primævum redire compulsus Andreas, nec minori existimatione exceptus, bis totius Ordinis Procurator, semel Generalis Vicarius effulsit. Alexandro VII. & Clementi IX. Rom. Pontif. acceptissimus, Ecclesiasticis, ac sæculi Principibus charus, inter Quæsitorum Fidei Censores, S. Rituum Congregationis Consultores, & Episcoporum Examinatores cooptatus, *Reverendissimi* titulo insignitus, animi modestiam, ac moderationem, insignemque humilitatem semper retinuit. In præcipuis Europæ Urbibus summo plausu, è sugestu auditus, nec semel ab ipso etiam Clemente IX. in Vaticana Basilica, faustas hominum acclamationes surda veluti aure pertransiit. Denique quum seipsum, Patriam, ordinemque illustrasset, virtutibus, doctrinâ, atque honoribus cumulatus Januæ XXIII, Decembris MDCLXXV. decessit. Typis dedit *Compendiosas totius Philosophiæ disputationes. In P. Partem D. Thomæ Tom. I. & II. In P. Secundæ Tom. III. & IV. De Epist. Mariana ad Messanenses m. s.* Non pauci de eo scribunt, quos allegat Mongitorius.

Bonaventura Bellutus Minor. XXXVII. *Bonaventura Bellutus*, Ordinis Minorum Conventualium, Philosophus, ac Theologus præstantissimus, Bartholomæi Mastrii de Meldula socius indivisus, quocum in Collegio S. Bonaventuræ Romano gravioribus scientiis operam dedit, ac novum Philosophiæ Scoticę systema in lucem edere cogitavit; collatis idcirco consiliis post adeptam magistralem lauream, quum in Cæsenæ Academia insimul studiis præessent, unanimi ingenio, Parvam Logicam concinnarunt, mox ad Perusinum Collegium insimul *Regentes* translati, reliquas Philosophiæ partes eruditissimis commentariis illustrarunt, quos tanto plausu excepere omnes, ut Epistolæ gratulationibus refertæ à sapientissimis viris ad ipsos convolaverint, à N. Centino præsertim, viro sui ęvi doctissimo, & Luca Petroschi Cracoviensis Gymnasii Philosopho. Ad Patavini studii Cathedras evecti, alia subinde monumenta edidere, ac sacram Scientiam tanta nominis celebritate professi sunt, ut inter absolutissimos ætatis illius Theologos adscribi meruerint. Bellutus tamen *Definitoris* perpetui honore cohonestatus, in Siciliam rediit anno MDCXL, moxque Provinciæ præfuit, ac *Commissarium* Generalem egit. Catanensibus Episcopis à Consiliis; apud Fidei Quæsitores Consultor, & Censor, Dynastis omnibus gratissimus fuit, moribus denique integerrimis, modestiâ, pietate effulsit. Obiit Catanæ ętatis anno LXXVII. Christi verò MDCLXXVI. die XVIII. Maji, quem meritis elogiis exornant Jo: Franchinus in *Bibliosoph*: num. 53. & 64. Cagliola *Expl.* 3. manif. 1. Bordonus *in Chron*: cap. 37. Vvadingnus *de Script. Minor.* Bonav. Theuli in *Trium: Seraph:* Grossus in *Decach*; & Mongitorius. Edidit simul cum Mastrio *Logicam Parvam*; *Disputationes in Octo lib: Physicorum*; *In Organum*

Aristotelis; *In lib. de Generatione*, *& Corruptione*; *In lib. de Cælo*, *& Mundo*, *ac Metheoris*; *In libros de Anima*. Seorsim *de Incarnatione Verbi Dei*; *Moralium Opusculorum librum*. Prælo paraverat ex Theuli *Opus de Sacramento Eucharistiæ*.

XXXVIII. *Octavius Tedeschius* Societatis Jesu, in lucem editus anno MDC. Gravioribus disciplinis, humanas literas copulavit, atque utrasq; Messanæ, Catanæ, Syracusis, & alibi docuit; Sacræ subinde Eloquentiæ operam dedit, perque annos XV, ab eruditione, & dicendi copia celebratus, sacri jejunii tempore conciones habuit. Græcam demum linguam mirificè calluit. Moritur Catanæ septuagenario major die XVII. Junii MDCLXXII. De eo Joseph Munebria, Thom: Tamburinus in Decalog. lib. 2. cap. 5. Carrera, Grossus, Bibliotheca Societatis Jesu. Edidit Italicè: *Orationes sacras*, *& morales*. *Conciones quadragesimales*. Consule Mongitorium. *Thomas Tedeschius* nobilissimus Catanensis, S. Theol: Doctor, ejusdemque facultatis in patria Academia Interpres, ac Synodalis Examinator. Scripsit Italicè: *Brevem Incendii Ætnensis de anno* MDCLXIX. *Enarrationem*.

Octavius Tedeschi Soc. Jes.

Thomas Tedeschius

XXXIX. *Marcellus Columna* gente patritia Catanæ ortus, anno MDCXIV. Ordini Minorum Strictioris Observantiæ nomen quum dedisset, Philosophicis, ac Theologicis scientiis totus incubuit, quas deinde sodales suos docuit, sed sacræ in primis Eloquentiæ studiis sese addicens, summus Dei Præco evasit, uberrimoque cum fructu Catanæ, Messanæ, ac alibi, perintegra quatuor lustra, verba salutis disseminavit. Lector hinc, & Concionator Generalis adlectus Romæ aliquandiu vixit, ubi Hieronymo S. R. E. Cardin: Columnio fuit à confessionibus; Catanæ Synodalis Examinator, ac ordinis sui præcipuis muneribus functus, ætatis

Marcellus Columna Min.

tis LXV. Domini verò MDCLXXIX. è vivis abiit. De quo Tognolectus in Parad: Seraph: par. 1. lib.5. cap. 1. & Mongitorius. Vulgata ab eo opuscula sunt Italicè: *Vera Deitas Catanensis. Epistola Apologetica ejusdem operis ad Josephum Bonafidem. Conciones de Adventu: Sermones de Christo Domino in Cruce pendenti. Apparatus sacer pro admirabili S. Crucis Triumpho.* M. SS. reliquit *de Prosapia S. Agathæ, & Gente Columna* Tom. duos.

Laurentius Finochiarus. XL. *Laurentius Finochiarus*, Societ: Jesu, Catanensis, Humaniores literas, Rhetoricam, Græcamque linguam apud suos per sexennium professus, diu in præcipuis Siciliæ Urbibus eloquentiæ suæ periculum fecit, magnamque gloriam retulit. Typis tradidit: *Vitam P. Bernardi Colnagi Soc. Jesu. Magni Ecclesiæ Martyris S. Georgii Glorias.* Suppressoque nomine *Vener. Ser. Dei Remigiæ Scammaccæ, & Tornanbene Vitam*. Omnia Italicè, ac stylo elegantissimo. Ejus meminit Biblioth: Societat: pag. 540, nec non Mongitorius. Floruit circa annum MDCLXXX.

Joan. Bapt. Basilis Canon. XLI. *Joannes Baptista Basilis*, Catanensis, Ecclesiæ Canonicus, Sacræ Theol: Doctor, cleri Examinator, apud Patriæ Præsules magna existimatione valuit. Rerum Sicularum scientissimus, veterumq; monumentorum, supra quàm credi potest, callentissimus; quidquid in Catanensibus tabulariis, quę quidem omnia evolvit, scriptum servabatur, memoriæ præsentissimum habebat, diemque, & annum signanter indicabat, quam sane mentis felicitatem ad extremum usque spiritum retinuit. Innumera sunt, quæ in publicis Senatus, Principis Ecclesiæ, & Episcopatus Archivis, *Repertoria*, ut ajunt, ac *Regesta*, summo posteræ ætatis emolumento, reliquit; De familiis præsertim nobi-

nobilibus tractatus concinnavit; typis autem dedit *Discursum, sive Factum Juridicum de Concessionibus Terrarum per Episcopos Catanenses. Privilegia omnia Catanensis Ecclesiæ.* Illum commendat Mongitorius. Decessit Catanæ XXI. Januar. MDCXCII.

XLII. *Ludovicus Scotus*, ex Ordine Minorum Conventualium, insignis S. Theol: Magister, ac inter ęvi sui præcipuos Oratores, ac Theologos merito recensendus. In generalibus enim Ordinis Comitiis Romæ anno MDCLXV. coactis, primatum inter peritissimos Scientiarum professores obtinuit; Studiorum hinc Regens Casalis, Panormi, Perusiæ, Januæ, Bononiæ, ubique præstantissimi ingenii famam reliquit, atque admirationem excitavit. In præclarioribus subinde Italiæ civitatibus sacras cinerales habuit conciones, eruditione, & eloquentiâ refertissimas, inque omnibus anni sollemnitatibus Romę diu, Venetiis ad triennium, summo cum plausu è sugestu auditus. In Urbem reversus Laurentii Brancati S. R. E. de Laurea Theologus fuit, eique gratissimus extitit. In Siciliam redux Romani Pontificis decreto Provinciam rexit, quumque eamdem lustraret, Ennę III. Kal: Januarii anno MDCXC. immaturè decessit. Illum laudant Jo: Franchinus in Bibliosoph: & Ant: Mongitorius. Edidit Italicè *Lectiones, sive Expositiones literales, & morales in Evangelia Dominic; & Sollemnit. totius Anni Par.* I. II. & III. Paraverat *Lectiones*, & *Expositiones in Evang. Quadrag.*

Ludovicus Scotus Minor.

XLIII. *Sanctorus Oliva*, Juris utriusque Doctor, doctrinâ, eruditione, & pietate conspicuus, S. Mariæ de Eleemosyna primùm, mox Cathedralis Basilicæ Canonicus, & Curiæ Episcopalis Assessor, Judexque, & Examinator Synodalis. Bibliothecam, quam à Patruo Jo: Baptista de Grossis

Sanctorus Oliva Canon.

ſis, pretio ad duo aureorum millia, ſelectam habebat, Catanenſi Seminario legavit; In memorando demum terręmotu XCIII. ejuſdem ſęculi anno ruinis oppreſſus, vivere deſiit. Ejus cum laude meminere Nicol: Riccius de Dote Paragii Ar. 3. Jo: Pilaja in deciſ: Pontif. tom. 2. deciſ. 10; aliique apud Mongitorium. Publicæ luci donavit: *Diſceptationem Juridicam de dilatione Quinquennali. De Epiſcopi Poteſtate in Immunitate Eccleſiaſtica cognoſcenda Quęſt: Canon: Alphabeticam Virorum Illuſtrium Coronam, qua Joan: Bapt: de Groſſis frons redimita praeminet.*

Michael Joenius Cler. Reg. Minor. XLIV. *Michael Joenius* ſummo loco natus, ex Clericis Regularibus Minoribus, eruditione, ac ſacra eloquentiâ præcipuus, in annuo Quadrageſimæ Jejunio bis Romæ, totidem Panormi, Catanæ, & alibi verba ad populum fecit, magnamque nominis ſui famam excitavit. Florente adhuc ætate in ejuſdem terręmotus ruinis periit XI. Januarii ætatis XXXIV. anno. Prodiit ejuſdem Oratio funebris in morte Vener. Servi Dei Joſephi Raymundi ſub titulo: *Imago Divinitatis Humanatæ* Catanę MDCXCI. *Nicolaus Ricciolus, & Aſmundus* Caſinenſis Monachus, S. Nicolai alumnus, *Nicolaus Ricciolus Benedict.* de quo ſuperius, Inſigne volumen *contra noſtri temporis Hęreticos, &c.* concinnavit, quod m. ſ. in Monaſterio Caſtricaſſino aſſervatur. Breve etiam S. P. Benedicti Regulę compendium edidit. Illum laudat Marian: Armellinus.

Vincentius Moncada XLV. *Vincentius Moncada* ſummo loco natus, Societati Jeſu ſeſe devovit anno MDCXXV, doteſque ingenii præſtantiſſimas gravioribus diſciplinis in ea, ſummo animi ardore, dicavit; maxima hinc doctrinę famâ Philoſophiam, ac ſacras Scientias Panormi, Meſſanæ, ac alibi ad plures annos docuit, ingentem exiſtimationem aſſecutus, viris

princi-

principibus apprimè charus, & ab eruditis non sine admiratione suspectus, Sapientiæ veluti oraculum evasit, ad quod undique confluebatur. Rexit Panormitanum Collegium, & Professorum domui præfuit. Ab Archiepiscopo Jacobo Palafox Cleri Examinator, ac Siculæ provinciæ nomine semel & iterum in generalibus Societatis Comitiis Procurator adlectus, quum insigni prudentia, cęterisque religioso viro dignis virtutibus sese commendasset, Panormi VII. Martii MDCXCIV. vitam commutavit. De eo Fran: Marchesius *Sacerd. in Villa* cap. 2. Stephanus Abbas *in Tract. de Attrit. & Contrit.* §. 2. aliique, & Mongitorius. Ejusdem suppresso nomine prodierunt: *Compendiariæ Logicæ Propositiones.* Oratio pro S. Agatha *Insigne Catanensium*. Vagantur passim Tractatus varii Moralis Theolog: m. s. uti idem Mongitorius testatur. *Ejusdem*

XLVI. *Franciscus Privitera* Ordinis Minorum Strictioris Observantię, Catanensis, ad plures annos Messanę, & in patria sodales suos gravioribus disciplinis imbuit; & Lectoris Generalis titulum meruit. Sępius sacras habuit conciones; Neapolis Monialibus S. Clarę, & S. Marię Magdalenę à secretis conscientię fuit; Supremas in Messanensi sua provincia præfecturas assecutus; in S. Fidei Quęsitorum Tribunali Theologus, & Censor, in Catanensi Diœcesi Synodalis examinator, Patrię demum ad Carolum Regem Legatus anno MDCLXXVIII. pro gravissimis rebus adlectus, summam in omnibus iis muniis doctrinam, ac prudentiam detexit; Regiumque Diploma pro Catanensis Gymnasii *privativa*, ut dicunt, Confirmatione impetravit. Insignibus denique meritis clarus, in suo Cœnobio vitam finivit XVIII. Januarii MDCCII. Edidit *Manuale Episcoporum, sive de Dextra,* *Franciscus Privitera Minor.*

Dextra, & Sinistra Episcopi. Italicè *Elogium S. Euplii M. Vitæ S. Agathæ V. M. Compendium. Annuale Catanense*. De *Terræmotu Anni* 1693. *Historiam*. Alia m. s. reliquit. Commendatur Tognoletto de Parad: Seraph: par. 1. lib. 5. cap. 1. Fran: Petronio de Geonol. S. Annæ, & Mongitorio in Bibliot: Sicul. Ubi *Seraphini Intriglioli*, ejusdem instituti meminit, humanioribus, & sacris literis instructissimi, qui typis vulgavit libellum sub titulo: *Nox Sacra Catanæ* 1670.

Seraphinus Intrigliolo

Xaverius Acciarellus Soc. J.

XLVII. *Xaverius Acciarellus* Catanensis, è Societate Jesu, quam anno MDCLXXI. amplexus est. Sacræ eloquentię addictus, egregias Concionatoris partes in pręcipuis Sicilię urbibus exercuit, à facundia, ac multiplici eruditione celebratus; in Melitensi Insula singulari etiam plausu, & honore exceptus, ac magna omnium frequentiâ è sacris rostris auditus, quin & Drepani poeticis laudibus, pręlo subinde commissis, honoratus, inter pręcipuos Verbi Dei Pręcones recenseri meruit. Calatanixettę demum mense Septembri mortalitatem exuit anno MDCCII. Edidit Italicè *Orationes de S. Agathæ V. M. Catan: erga Patriam patrocinio* sub titulo: *Vera Beneficentia etiam inter Calamitates. Novum fortunæ Numen pro Epistola B. M. Virg. ad Messanenses; Amantis Nazareni deliciæ pro S. Rosalia Virg. Panor:* Pręlo paraverat *Officinam sacram, sive de mirabilibus Sanctorum. Vitas Episcoporum Catanensium à Sancto Beryllo ad Franciscum Caraffam. Varias circa Histor: Ecclesiast: Quęstiunculas. Exempla sacra, & moralia. Orationes sacras. Improborum hominum deliramenta*. De eo Mongitorius.

Joseph Licata Sac.

XLVIII. *Joseph Licata*, Sacerdos Catanensis, S. Theol: Doctor, morum probitate conspicuus, & *in Domini vinea insignis Operarius*, uti illum Mongi-

Mongitorius appellat, egregius denique conſcientiæ moderator, ac vitæ aſceticæ Magiſter. Prælo vulgavit Italicè: *Viam Illuminativam, & Viam Purgativam* duobus tomis comprehenſas, paraveratque *Viam Unitivam*. Obiit octogenario major anno MDCCXIX.

XLVIII. *Petrus Paternionius* Panormi natus, ſed Catanenſis origine, ex Ordine Clericorum Regularium, ſeverioribus ſcientiis inſigniter excultus, quas ad plures annos ſodales ſuos docuit; ac in Publica Meſſanenſi Academia S. Theologiæ primarius Interpres, Cleri Panormitani Examinator, floruit ſacra denique eloquentiâ clarus. Prælo nonnulla Theologica opera paraverat; edidit tamen *Orationem Funebrem in morte Joſephi Boccadifoco Cler. Reg. Abbatis S. Petri, & Pauli de Itala.* De eo Mongitorius. Deceſſit Panormi ætatis anno LXVIII. Domini verò MDCCVI. *Petrus Paternionius Cl. Regul.*

XLIX. *Placidus Criſafullus* Minimorum S. Franc: de Paula Theologus, Tyrones ad plures annos Catanæ inſtituit, Cleri Examinator ſub Epiſcopis Andrea Riggio, & Albaro Cienfuegos claruit, meritiſque onuſtus prope ſeptuagenarius in ſuo Catanenſi Cœnobio, quod poſt terræmotum reparaverat, mortalem depoſuit ſarcinam VIII. Idus Januarii MDCCXXVII. Prælo dedit *Evangelicas Conſiderationes ſuper Vitam, & Miracula S. Franciſci de Paula, Italicè.* *Placidus Criſafulli Minimus*

L. *Joſephus Cocus* Sacerdos, honeſtis parentibus natus, acre ingenium apud Soc: Jeſu Collegium humanis, & ſacris ſcientiis adjunxit, progreſſuſque in iis non vulgares fecit. E patria Romam, inde rurſus in Siciliam ſe contulit, atque in S. Luciæ de Mylis oppido ad vitæ exitum conſedit. Ibi Oratorii S. Philippi Nerii Sodalibus accenſus, Abbatis aliquando ejuſdem S. Luciæ ge- *Joſephus Cocus Sacerd.*

neralis Vicarius inclaruit. Typis Messanensibus Josephi opus habemus, cui titulus: *Clavis Pontificia Propositiones aperiens ab Innoc: XI. &c. damnatas.* Vitâ excessit an. MDCCXVI. ætatis LVI. nonnullis aliis ingenii monumentis m. s. relictis.

Nicolaus Tedeschius Archiep. LI. *Nicolaus Tedeschius*, Archiepiscopus Apamenus, alibi à nobis commendatus, Catanæ primùm Sacrorum Canonum Interpres, ac Philosophiæ in suo S. Nicolai Cœnobio Professor. Romæ subinde in S. Anselmi Collegio sacræ doctrinæ ad plures annos Cathedraticus, in summa Urbis frequentia primas obtinuit, atque ingenii acumine, scientiæ profunditate, ac multiplicis, solidæque eruditionis copia, inter præcipuos sæculi hujus Theologos emicuit. Quæ publicæ luci consignavit, sunt: *Theses ex universa Philosophia, ad mentem Divi Anselmi Abbatis Beccensis, & Archiepiscopi Cantuariensis*, Eminentiss. Cardinali Josepho Saens de Auguirre dicatæ, in fol. Catanæ 1692. Præfixa est opusculo ejusdem Josephi Cardinalis Epistola, qua doctissimus vir ingenium Nicolai, eximiosque conatus commendat, quod primus Philosophiæ placita vulgarit, juxta S. Anselmi doctrinam, atque ex ejus operibus sententias illa firmantes eruerit: *Scholæ Divi Anselmi doctrina, sive mille & octoginta Theses ex Logica, Physica, Metaphysica, Ethica, Theologia Scholastica, & Dogmatica ad mentem ejusdem S. Doctoris.* Hìc etiam insertas habes Divi Anselmi sententias. *Sacræ doctrinæ Synopsis, in qua universa Theologia tum Scholastica, tum Dogmatica, ad S. Scripturæ Authoritatem &c. collimata proponitur; nec non ex Ecclesiastica Historia selectæ controversiæ excitantur, & dirimuntur.* Aliud suppresso nomine opus circumfertur, quod Nicolao tribuitur, ab eo concinnatum, quum de Sicula Monarchia controversiæ

troversiæ agitarentur, anno MDCCXI. Romæ excusum.

LII. *Eutychius Pacinus*, à *S. Flavia* dictus, Patre Messanensi, Catanæ MDCLXXIV. natus, ingenii acumine, & morum optima indole, vel ab ipsa juventute enituit, ac tertio ætatis nedum lustro exacto, universam Philosophiam, magnamq: Theologiæ partem arripuit; mox sæculo valedicens, Augustiniensibus Discalceatis accensus, easdem facultates summo cum plausu suis tradidit; Romamq: evocatus, diu Generali totius Congregationis Præfecto adstitit, eique à Secretis fuit. Variis hinc muneribus ibidem perfunctus, Siculam Messanæ Provinciam bis regendam suscepit; mox totius Congregationis Generalis Vicarius, rursusque tertium inire magistratum in Provincia cogitur, quam & hodie commissam quoque habet. Viris principibus ex virtute charus, Messanæ, & Catanæ Synodalis Examinator, Siciliæ, & Patriæ Oraculum audit. Multa prælo parata habet; circumferuntur tantum: *De Censu Personali* Tractatus Canonicus. *Quomodo locutus est Moyses* Oratio. *An licita sit morosa conversatio inter Masculum, & Feminam* Dissertatio Theologica. Cœnobii sui bono, quod à fundamentis prope mœnia constructum in dies auget, Ordinis, ac patriæ emolumento annos illi immortales apprecamur. *Eutychius Pacinus August.*

LIII. *Petrus Joseph Lauria* Catan. Ecclesiæ Canonicus, Sede vacante, ac sub Petro Galletto Episcopo Generalis Vicarius, humanis, ac divinis literis instructissimus, edidit suppresso nomine *Spiritualium Florum Fasciculum Agathæ Catanensi Amazoni Sacrum*. *Romualdus Rizzarus* Casinensis Monachus, publicus in patria Academia Matheseos Professor, ejusdemque facultatis Cathedræ promotor, Philosophiæ, ac Theologiæ laurea insignitus, *Petrus Lauria Canon.* *Romualdus Rizzari Casin.*

sacræ

facræ demum eloquentiæ ſtudiis præcipue addictus. Edidit *in Funere Andreæ Riggio Catan. Pontificis Orationem. De SS. Eucharistiæ Sacramento, de Sancto Joſepho Conciones*. *Nicolaus Ricciolus* Ordinis etiam S. Benedicti, politioribus literis ad humanitatem informatus, ſolidiſque ſcientiis inſtructus, ſacræ Polemicæ facultatis ad plures annos in Catanenſi Gymnaſio Interpres, hodieque Theologus primarius, prelo dedit *Catholicarum Veritatum Enchiridion*. *In funere Raymundi Ruby Catanæ Epiſcopi Orationem*. *Hyacinthus Paternionius*, *Bonajutus* ex Raddusæ Dynaſtis, U. J. D. Matthæi Trigonę Syracuſani Epiſcopi anno MDCCXXXVII; & Petri Galletti Catanenſis Antiſtitis anno MDCCXLIII. Vicarius Generalis, pluribus uſq: adhuc typis ſequentes Orationes conſignavit, in quibus neque elegantiam, neq; eruditionem deſideres, nempe: *In laudem Vincentii Paternionii & Celeſtri*; *In Funere Didaci Paternionii & Bonajuti*; *Hyacinthi Paternionii, Trigonę Soc. Jeſu Elogium*; *Hyacinthi Paternionii & Caſtelli Orationem Panegyricā*. Paratam habet *Heroum Paternioniorum Chronologicā Hiſtoriam*. Vivit doctrinâ, & moribus præcipuus. Inter alias Orationes nondum editas, in Jovialiū Academia recitavit: *De Scientiis ad Virum Academicum perficiendum neceſſariis*; nec non *de ſeptem priſcis nobilioribus hujus Regni Magiſtratibus*; & *de Academiæ Principe recte eligendo*; atque ad Æthneorum Paſtorum Cętū *de Cōcivis noſtræ* AGATHÆ *Patria Diſſertationem*, quam proximè typis edere meditatur.

Nicolaus Riccioli Caſin. — Hyacinthus Paternionius

Jo. Baptiſt. Guglielminus Ord. Capuc.

LIV. *Joannes Baptiſta Guglielminus* Ordinis Minorum Capuccinorum Philoſophiæ, & Theologiæ inter ſuos Profeſſor, muſiſque charus, Provinciæ Meſſanenſis, ut dicunt, *Definitor*, typis vulgavit *S. Alexii Vitam* Italicis ſcenis accomodatam. O-

pus

pus ad Theol. Moralem spectans prælo paratum habet. *Franciscus Acciarellus* ex Clericis Reg: Minoribus, sacrę eloquętię studiis addictus, prelo dedit Orationem *de Laudibus B. Camilli de Lellis* Catanę habitam 1742. *Hyacinthus Ruffus* Ordinis Prædicatorum Magister, S. Theol. in Catanensi Universitate Doctor, & publicus Professor, *de Laudibus S. Agathæ* Panegirim vulgavit. *Antonius M. Coltrarus* Catanensis Soc. Jesu, sacram orationem de laudibus Agathini M. Tedeschii ejusdem Soc., Panormi in Collegio habitam, typis consignavit, in qua eruditissimè mores eximios, vitamque ejusdem Servi Dei expressit, ac Ss. Patriarchæ Ignatio illum omnino comparem non injuriâ vulgavit. Præclara Agathini merita alibi cap. 11. commendaveram; sed Typographi festinatio Auctarium ad caput illud præteriit. Addam hìc, quæ sub Agathini effigie initio laudatæ Orationis leguntur: *P. Agathinus Maria Tedeschi, Catanæ Patricio Genere Ortus, Ex Ardentissima In Deum Charitate Omnibus Omnia Factus, Omnium Pater Appellatus; Assiduis Corporis Afflictationibus, Laboribusque Confectus, Placidissimè Obiit In Panormitano Collegio* xv. *Kal. Martias* 1745. *Cujus Sanctimoniam Populi Concursus Ejus Vestes Turmatim Diripientis Comprobavit.*

Alii editis operibus.

CIVILES, SIVE PROFANI SCRIPTORES.

Brancas Medicus. I. BRancas *de Branca* Medicus celeberrimus, Siculus Catanensis ab Joanne Schenkio, merito dictus in Præfat: ad Tom. 1. Observat: Medic: quem sequitur Fridericus Garmannus de miracul: mort: lib. 1. Tit. 2. ac passim alii. Chirurgus quoque paucis comparandus, aurium, narium, & labiorum, siquæ recisa fuerint, restitutor. Illum Ferdinandus Rex hujus nominis primus variis beneficiis complexus est, & officium *Sigilli Doganæ* Panormi, ut ajunt, pro se, ac suis eidem concessit die 11. Januarii Ind. VI. anno MCCCCXII. Habuit auditorem, ac discipulum *Balthassar Pavonus Medic.* Balthassarem Pavonum Siculum, & forte Catanensem, Medicum insignem. Laudatur Brancas à Gilberto Cognotto lib. 3. narrat; Culentio in Epist: & Paschali Gallusia in Bibliot. medica, Grosso, & Ragusa in Bibliot: Sicul. Veter.

Antonius de Alexandro Med. II. *Antonius de Alexandro* Philosophiæ, ac Medicinæ Doctor eximius, Siciliæ, & adjacentium Insularum Archiater, Alphonso Regi ob artis peritiam apprime charus. Claruit anno MCCCCXLI. *Scripsit Constitutiones, & Capitula, nec non Jurisdictiones Regii Protomedicatus officii Siciliæ*: quas Nicolaus Specialis, & Guilelmus Moncada Regni Præsides anno MCCCCXXIX. probarunt, ac recognitas, & elucidatas edidit Jo: Philip. Ingrassia MDLXIV. De Antonio Mongitorius, & Grossus.

Simon de Piscibus. III. *Simon de Piscibus*, de quo Cap. 4. Sardiniæ Prorex, commendatur Silvagio ab legali scien- *Aliiq; Jurisconsulti* tia, & facundia. Idem *Joannis Baptistæ Platamonii* doctrinam, atque ingenii præstantiam laudat;

Goffridum Rizzarum, ejusque Fratrem *Joannem*, in jure consultissimos celebrat, & hunc, Joannem scilicet, Ritum condidisse tradit; quos etiam citato loco inter illustres Catanæ viros Togis, obitisque muneribus illustres recensui. Memorat Clariss. Mongitorius in Appendice ad Tom. I. Siculæ Bibliot: *Adamum Asmundum*, quem in Jure scripsisse aliquot Consilia, ex Josepho Cumia de Feudis tradit. His denique coęvus *Joannes Ansalonius*, qui inter ętatis suę Jurisperitos eminuit, ac eloquentiâ, & eruditione clarus mirum in modum refulsit. Hinc ex his animi virtutibus, atque ex corporis majestate, & elegantiâ *Alter Apollo* passim vocabatur. Hunc pluries M. R. C. Judicem egisse tradit Mongitorius, ac aliis insignitum muniis dicit, quæ Hieronymus ejusdem filius gessit; hinc vereor, ne gentis cognomine deceptus, utrumque confusum nobis protulerit. Grossus in Decachordo Joannem quidem Pitinei Dominum prodit, sed alios ejusdem gradus, supremasque dignitates dissimulat. Fuit ceterùm Joannes in consiliis nedum maturitate, verum etiam & celeritate admirandus; Allegationes edidit doctrinâ refertissimas, quarum vi nonnulla Jurisconsultorum vota revocavit. Laudatur à Silvagio, Grosso, Ansalonio, Connetio, Cumia, & Mastrillo apud Mongitorium. Scripsit *Tractatum de Feudis*; *Consilia*; *& Allegationes in Caussa Nasrisiæ de S. Angelo*; quas citat idem Mastrillus decis: 56. lib. I. n. 21.

Adamus Asmundus J. C.

Joannes Ansalonius J. C.

IV. *Joannes Filingerius*. De eo jam supra. Subdam hic Petri Ranzani verba, qui, uti dixi, Catanam usque venit, ut ejusdem consuetudine frueretur. *Sæculo enim nostro*, ait, *in componendis vulgari lingua carminibus, nemini secundus fuit; Eam ob rem conterranei mei omnes ipsum, & mirifice diligunt, & in primis admirantur*. In quo

Joannes Filingerius Poeta.

autem

autem scribendi genere versatur, tanto utitur artificio, adeoque est tersus, copiosus, gravis, & ubi opus aliquando est, facetus, ut poetica, oratoriaque virtute, quod maximè est mirum, sine literarum, vel mediocri notitia, maximè præstare videtur. Extant vulgo ejus infinita opuscula, magno apud Siculos, & pretio, & usu habita. Rei itaque fama incitatus cum ipsum adiissem, post multa ultro, citroque dicta exhibuit mihi perlegendum Opus, quod scripserat: De Bello in Cypro à Sultano gesto, quo ipsius Insulæ Rex Janus captus, & in Ægyptum, à Saracenis diligenti custodia observatus, transvectus est. *Cujus rei historiam me supra scripsisse, mihi memoria est.* Hæc Ranzanus de Joanne; Mongitorius, & Vigintimillius in Indice Siculo Poetarum, nec non Silvagius, & Grossus, illum etiam commendant.

Andreas Barbatia J. C. V. *Andream de Bartholomeo*, à prolixa Barba, vulgo *Barbatiam*, Patria Netinum, Messanensem privilegio, celeberrimum Jurisconsultum, qui Nicolaum Tedeschium sibi coævum Concivem suum appellat, Catana oriundum affirmo, quo enim jure Tedeschio esse Civis potuit, nisi origine? Viri hujus elogium texere superfluum est, quum luce clariora ejusdem sint opera, ac penè innumeri de illo scribant, quos allegat Mongitorius. Epitaphium exhibeam in S. Petronii Bononiensi Ecclesia, ubi Andreas sepultus jacet, marmori insculptum.

Andreæ Barbatiæ Siculo, Maximo Juris Utriusque Monarchæ, Equiti Aurato, Hic Molliter Agenti. Conjux D. Margarita De Populis, Et Pia In Parentem Proles Hoc S. Opus B. M. F.

Simon Vivacitus J. C. VI. *Simon Vivacitus*, Jurisconsultissimus, cujus extat *Lectura super Ritu Regni Siciliæ* in Commentariis à Marcello Conversano collectis. E-

jus

jus loco suo meminimus cap. 4. Vivebat anno MCCCCXCIX. *Joannes Dies* Poeta Catanensis sub idem tempus floruit. Vernacula lingua multa cecinit, quorum superest *S. Agathæ V. M. Catanensis Martyrium* Messanæ 1499. De eo Carrera vol. 2. lib. 2. Mongitorius. His addam *Ptolomæum Gallinam* Philosophum, & Astrologum egregium, cujus insignes animi dotes, in laboribus, molestiisque perferendis, ac in itineribus suscipiendis magnanimitatem, summis laudibus extollit Jovianus Pontanus de Tumul. lib. I. & lib. de Beneficentia; memoratur etiam Pirro, Grosso, Ragusæ, & Mongitorio. Edidit librum de *Rebus Astrologicis*, quem illum credunt nonnulli m. s. in S. Nicolai de Arena Bibliotheca asservatum. *Joannes Dies Poeta* *Ptolomæus Gallina Philosophus*

VII. *Joannes Thomas Moncada* Catanę summo loco natus, primisque in Sicilia pręfecturis clarus, eruditione, & scientiâ, paucis secundus, de quo nonnulla prælibavimus cap. 4. Edidit libros III. Epistolarum, quas Italico postmodum idiomate vertit PetrusCarrera, typisque cum suis notis dedit, ac Laurentius Matthęus de Sans postmodum Hispanicè vulgavit 1658. *Albarus Paternionius* vir patricius, quem perperam Mongitorius in Episcopum Catanensem à Monachis S. Agathę postulatum dicit, politiori literatura satis eruditus *Cæremoniale*, quo Catanensis Senatus uteretur, concinnavit, ab Siciliæ Proregibus confirmatum, ac *Chronicon Siciliæ* scripsit, quod m. s. apud Ill. Marchionem Jarratanę Hieronymum Septimum servabatur: *Civitatis* denique *Neapolis Chronicon* quod etiam m. s. extabat penes Carolum Vigintimillium, uti Mongitorius testatur. Ab Albaro minimè disjungendos putaverim *Gualtherium Paternionium*, ac alterum ejusdem etiam nominis, *Gualtherium* idcirco juniorem dictum. Floruit il- *Joannes Thomas Moncada Historicus* *Albarus Paternionius Hist.* *Alii Juris Consf.*

le anno MDXV. ediditque ex Grosso *Responsa Legalia*; quæ perierunt. Alter, qui à Silvagio laudatur, scripsit in *Cap. Volentes de Feudis*, & *Allegationes in causa Baroniæ Furnaris*; claruitq: MDXXXI. Ambos commendat Mongitorius tom. 1. Bibl.

Blascus Lancea J. C. VIII. *Blascus Lancea*, Jurisconsultus celeberrimus, cujus hæc extant ingenii monumenta. *Consilium* apud Petrum de Luna in Consiliis Selectis. *Consilium* aliud penes Joan: Fran: de Castillo lib. 1. Decis. Consistor. Decis. 51. *Apostillæ super Ritu Regni Siciliæ. Ad Bullam Apostol. Nicolai V. & Reg. Pragm. Alphonsi Regis, de Censibus Annotationes. Commentaria ad Cap. Volentes. Lectura in Cap. Si aliquem, de Successione Feudorum. Responsa Feudalia. Consilia plura* nondum edita. *Allegationes in causa morali*. Consule Mongitorium. Blasco haud absimilis illius germanus Frater *Antonius Lancea*, summa doctrinæ opinione vixit; Regiusque Consiliarius fuit. *Antonius Lancea J. C.* Scripsit *Apostillas super Ritu Regni Siciliæ: Ad Bullam Apost: & Pragmat: de Censibus Annotationes. Repetitiones Feudales: Apostillas ad Catanæ Statuta*. Laudantur à Grosso, Mongitorio, Pirro, Milanensi, Cutellio, Conversano, de Gregorio, aliisque innumeris.

Petrus Gravina Poeta, & Orator. IX. *Petrus Gravina*, Catanæ summo loco natus, uti Paulus Jovius in Elogiis Vir. Illus. lib. 1. Matthæus Toscanus in lib. 2. Peplus Italiæ, Morerius diction: tom. 2. affirmant; quamvis idem Jovius sibi contrarius alibi in vita Petri, Panormitanum dicat cum Lucio Marineo lib. 5. Epist. Lud. Jac: à S. Carolo in Bibl. Pontif. lib. 2. Ambros. Leone in lib. de Nola, & Honor. Domin: Caramela in Museo Illustr: Poetar. Petrus ipse Oratione habita 16. Maji 1693. ad Alexandrum VI. Rom. Pont: Panormum patriam suam

vocat,

vocat, ejusque opera Neapoli edita 1589. & 1532. titulum habent: *Petri Gravinæ Panormitani Epistolæ, & Orationes &c.* Nihilominus vel Privilegio Panormitanum fuisse Petrum dixerim, vel si Panormi natum, Catanâ dubio procul oriundum, ubi nobilissima Gravinorum gens diu claruit, & hodie etiamnum eminet. Petrus igitur præstantissimo ingenio, dilucido, ac fecundo, nec non corpore ad majestatem composito, ac pulchritudine egregio præditus, robore, & agilitate conspicuus, quibus non sine admiratione in pilæ ludo, gladiatoria arte, aliisque equestribus, & militaribus exercitamentis utebatur, præcipuo tamen cultu latiis sese musis addixit, ac Neapoli in Regum Aragonensium aula eximiam sui existimationem excitavit, omniumque literatorum ævi sui amorem, & venerationem promeruit, quos inter recensendi Jovianus Pontanus, Sannazarius, August: Niphus, Zimarra, Celius Rodiginus, Bernardinus Rota, aliiqui, qui eximiis laudibus Petrum, ejusque poemata, & carmina exornarunt, eique in hoc lucubrationum genere palmam tribuere non dubitarunt. Italicæ etiam poesi magna cum laude operam dedit, ut Lauren: Crassus, & novissimè Crescinbenius testantur. In Oratoria demum facultate primas tenuit, præcipuisque Declamatoribus fuit etiam accensus. Filium habuit *Tranquillum Gravinam*, editis operibus etiam clarum. Ipse quum Ecclesiasticæ militiæ nomen dedisset, Sacerdotium in principe Neapolis Basilica obtinuit, Ferdinando Consalvo de Corduba adnitente, cujus egregia facinora, ac victorias heroico carmine celebravit. Aliis etiam viris principibus apprime charus, ac per Italiam, quam aliquando perlustravit, notissimus evasit. In opido demum Conchæ agri Sidicini, quum ei in umbra meridianti castaneę echinus

Tranquillus Gravina.

chiqus tibiæ suram levissimè pupugisset, LXXIV. ætatis anno decessit; tenerè enim scalpendo, enatum est ulcus, accersita lethali febricula. *Adeo enim*; concludit Jovius, *subtiles causas mortis fata inveniunt, quum ex decreto urgent*. Habes ejusdem elogia sepulchralia apud laudatum Jovium, Ragusam, & Mongitorium, qui authores omnes de Petro cum laude scribentes enumerat. Ex multis, quæ scripsit pauca supersunt, nonnulla enim ipsemet strepentibus armis, ac musis iratus, quod Dynastæ conceptæ spei minus liberaliter arrisissent, sponte delevit, ac discerpsit. Quæ Scipionis Capycii pietas, ac cura collegit, sunt: *Epigrammatum liber. Sylvarum liber. Carmen Epicum; Poematum libri. Epistolæ, & Orationes. Poematis de Consalvi Cordubæ rebus gestis* fragmentum extat. Ex Epistolis colligimus edidisse: *Commentaria in Somnium Scipionis; Lucubrationem Surrentinam*, quam amisisse unicè lugebat. *Carmina Italica*.

Joan. Philippus Paternionius J. C.

X. *Joannes Philippus Paternionius*, quem suo loco commendavimus, edidit *Ad Bullam Apostol. & Reg: Pragmat: de Censibus Annotationes*. Apud Petrum de Gregorio. *Apostillas super Ritu Regni Siciliæ* in Comment: super Ritu à Marcello Conversano collectis.

Alii Juris Cons.

Antonius Platamonius

Antonius Platamonius genere nobilis, virtute illustrior, à legali scientia Grosso memoratus in Decachord: plura scripsit, quæ perierunt, ex quibus nonnisi fragmenta *in Regni Siciliæ Ritus* perdurant. Illum laudat Marius Cutellus de donat: tom. I. trac. I. dist. 2. partic. XI. num. 80.

Franciscus Provinzalis

Franciscus Provinzalis insignis Jurisconsultus à doctrina, & muniis satis celebris, de quo superius. Ejus extant *Ad Bullam Apost: & Regiam Pragmat: de Censibus Annotationes. Consilium* apud Joan. Fran: de Castillo lib. I. decis. Consist: *Additiones ad Bertacb:*

tacb: quas citat Joseph Cumia: *Adnotationes ad L. Si non ibi rem. ff de Cond. Indeb*: *In Tit. De Acquirenda Possess. Lectura*. *Hieronymus Fimia* ob singularem doctrinæ præstantiam *Aquila volans* appellatus. Scripsit *Additiones super Ritu Siciliæ. Ad Bullam Apost*; *ac Reg. Pragm. De Censibus Additiones*; *In Cap. Volentes Apostillas*. *Consilia Feudalia*. *Consilium pro Vincentio Corbera* à Francisco Milanensi editum lib. p. decis. 8. *Henricus de Medicis* in utroque jure peritissimus. Adnotationes & ipse *in Bullam Apost*: *& Prag. de Censibus* composuit. *Hieronymus Fimia.* *Henricus de Medicis*

XI. *Veraldus de Roccho*, laudatur à Silvagio. Poeta fuit ingeniosissimus; vulgari Sicula lingua multa scripsit, quæ m. s. vagabantur per manus Civium, ut idem Silvagius testatur. De eo Grossus, Ragusa, & Mongitorius. *Bartholomæus Asmundus* Poeta & ipse singularis, floruit ante Antonium Venetianum, ac Siculo idiomate carmina cultissimè concinnavit. Extant ejus *Cantiones* in Musis Siculis part. I. Illum celebrant Joseph Galeanus, Grossus, & Mongitorius. *Veraldus de Roccho Poeta.* *Bartholomæus Asmundus Poeta*

XII. *Eustachius de Pernis*, Medicus, & Philosophus eximius, immatura morte Catanę sublatus anno MDLIV. De quo Joan. Bapt: de Grossis in Decach. In lucem emisit *Comment: in librum Galeni, quos purgare conveniat, quibus Medicamentis, & quo tempore*. Neapolis 1547. in 4. Laudatur etiam à Mongitorio in Biblioth. *Petrus Discordanus* à Pirro memoratus circa hæc tempora vixit, librum concinnavit *De Viris Illustribus Catanensibus*, qui periit. *Eustachius de Pernis Medicus.* *Petrus Discordanus Historicus.*

XIII. *Raymundus Raymundettus Sanmartinus*, alibi memoratus, Summariis illustravit, & in laudabilem consonantiam redegit *Regni Siciliæ Pragmaticarum Sanctionum Tom. I. & II.* Re- *Raymundus Raymundettus. &c.*

gni Siciliæ Capitula in unum corpus redacta. Hæc novissimè opera Fran: Testa Nicosiensis, Ecclesiæ, Panormitanæ Canonici, notis illustrata eruditissimis, Panormi prodiere anno MDCCXLII. cum aliis Capitulis ad hæc usque tempora editis. Raymundi etiam in aliorum libros relata extant: *Consilium* apud Petrum de Luna in Selectis. *Ad Bullam Apostol: & Reg. Pragm. de Censibus Adnotationes. De Ecclesiastica Jurisdictione Libri duo*.

Joan. Nicolaus Rizzari Poeta.

XIV. *Joannes Nicolaus Rizzarus* à Sicula, & Latina poesi clarus, floruit ante Antonium Venetianum, qui ex Joannis nostri cultis Carminibus venustiorem cantionum suarum formam hausit, ut Josephus Galeanus tradit in Musis Siculis part. 1. Edidit vernacula lingua *Cantiones* in iisdem Musis Siculis. *Petrus Pavonus*, Catanensis, non sine laude, vulgari etiam idiomate Siculo cecinit, eximiamque in argutiis, ac facetiis lepidissimè exponendis, atque ex tempore concinnandis, laudem promeruit. Commendatur Nicolao Villano in discur. de Ludrica Poesi, Cosmæ Nepita, Grosso, Galeano, & Mongitorio. Typis dedit *Vitam Sanctæ Agathæ V. M. Catan. Siculo Carmine. Cantiones Ludricas Siculas*; *Cantiones Siculas* in Musis Siculis parte 1. & III.

Petrus Pavonus Poeta.

Vincentius Senesius J. C.

XV. *Vincentius Senesius*, quem Grossus eximiis laudibus extollit, & nos in not. S. Mariæ de Eleemosyna alibi commendavimus, ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ Præpositus, Cæsareo, & Pontificio jure, nec non Theologicis disciplinis excultus sub Nicolao Caracciolo, Antonio Faragonio, & Joanne Horosco Catanensibus Episcopis, Vicarium gessit, & S. Mariæ de Cava Prioratu fuit etiam insignitus. Claruit anno MDLXXV. Scripsit *Juris Responsa*. *Petrus Rizzarus* doctrinâ celebris edidit *Ad Bullam Nicolai V. & Regiam Pragm. de*

Petrus Rizzarus J. C.

Censi-

Censibus Adnotationes, quæ extant in lib. Petri de Gregorio de Censibus. *Additiones super Ritu Regni Siciliæ*, quas Marcellus Conversanus in suis Commentariis collegit. *Juris Responsa* ex Grosso. De eo nos supra. *Fridericus Campixanus*; de quo etiam alibi. Ejusdem literaria monumenta, quæ supersunt, enumerat Mongitorius videlicet: *Consilia tria* in Selectis Consiliis Petri de Luna. *Ad Bullam Apost: & Reg: Pragm: de Censibus Adnotationes* apud Petrum de Gregorio. *Allegationes*, quas citat Marius Giurba nempe *Pro Barone Resuttanæ*; *Pro Universitate Ramettæ*; *Pro D. Cæsare Lancea*; *Pro Monast. S. Dominici*; *Pro Ill: Duca de Bisbona*; *Pro D. Laurea, & Catharina de Orioles*; *Pro F. D. Paulo Equite S. Joannis*; *In Causa Ucriæ*. *Fridericus Campixanus J. C.*

XVI. *Laurentius Bolanus* Catanensis Philosophus, & Medicus haud vulgaris famæ, & nominis, Anatomes, & Matheseos peritissimus, ingenio, & eruditione præcipuus, poesis denique latinæ peritia singularis. Philosophiam, & Medicinam ultra annos viginti in patrio Gymnasio, summo plausu est interpretatus, ac vetusta Catanæ monumenta è tenebris eruens, primus vulgavit. Mortalis esse desiit anno MDLXXXVIII. In S. Dominici Cœnobio sepultus. De eo Rocchus Pirrus, Carrera, Grossus, & Mongitorius. Typis tradidit *Opus Logicum*, & ex Pirro etiam *Rethoricam*. Composuit *Chronicon Urbis Catanæ*, quod apud Hieronymum Bolanum servatum tradunt Carrera, & Grossus, ex eoque aliquot fragmenta suis operibus inserunt. Scripsit etiam *de Ætna*, sed tum Chronicon, tum etiam opusculum de Ætna perierunt. *Laurentius Bolanus Medicus.*

XVII. *Joseph Cumia*, Juris peritia nulli secundus, edidit *In Ritus M. R. C. ac totius Regni Siciliæ Curiarum Commentaria*. *In Ritus Mag.* *Josephus Cumia J. C.*

Reg.

Reg. C. *Praxim*. *Practicam Syndicatus cum Theorica. In* Regni *Siciliæ Capitulum*: *Si aliquem. De Success. Feudorum Repetitionem*. *Consiliorum Tomos* III. ex Grosso. Laudatur à Pirro, Borello, de Præstan: Regis Cathol: cap. 40. Intrigliolo, Cutello, Bucalo in Voto 2. num. 19. Gensero Bi-

Franciscus Milanensis J. C. blioth: Carrera, Grosso, & Mongitorio. *Franciscus Milanensis* scientiâ, & muniis illustris. Prælo commisit: *Aureas Decisiones Curiæ Regni Siciliæ Par.* I. & II. Illum celebrant Pirrus, Grossus, Mastrilli de Dote de Paragio quæst. 3. & Mongito-

Cosmas Nepita J. C. rius. *Cosmas Nepita*, Jurisconsultus eximius, publici juris fecit *In Consuetudines Clariss. Urbis Catanæ, ac totius fere Siciliæ Regni Commentaria*. Hos omnes superius memoravimus cap. 4.

Octavius Archangelus Historicus. XVIII. *Octavius Archangelus* nobili genere, Catanæ satus Historicus, & Poeta insignis, à morum probitate, animi candore, ac ingenii felicitate commendatus, vixit circa annum MDCII. de quo cum laude meminerunt Pirrus in Not. Eccl. Cat: Joseph: Galeanus in Musis Siculis, Carrera vol. I. Grossus; *Historiam Catanensem* summo labore, ac studio elucubravit, atque ex variis monumentis hac, illac dispersis, lacerisque, ingenti cum laude, in unum corpus redegit; Veteres Lapides, Numismata, Statuas, Ædificia exhibuit; nihilque intentatum reliquit, quod ad patriæ decus conduceret, ejusque veterem magnificentiam proderet. Hinc Romæ aliquandiu versatus, bibliothecas evolvit, nec non per Italiam diu vagatus, peregrina quædam, ac paucis obvia detexit, integrumque nobis opus, pro ut ætas illa patiebatur, reliquit. Id verò meliorem in formam Valerianus de Franchis ordinavit, ac in Tomos duos divisit. Extabat Archangeli autographum inter rariora Senatus Catanensis, ut Carrera testatur, hodie verò, ut

alibi

alibi diximus, Valeriani opera concinnatum, apud Innocentium Roccafortem, & in S. Nicolai Bibliotheca asservatur. Leguntur in Musis Siculis Panormi editis Archangeli *Cantiones vernacula lingua*. Scripsit etiam ex Pirro, & Grosso *Chronicon Universale*, *& Poemata Heroica*. Consule Mongitorium in Biblioth: ubi *Michelem Juvinum* Catanensem quoque memorat, qui *de Ponte casu effracto, ac multorum in aquis demersione Panormi anno* MDXC. *die* XV. *Decembris* Historiam typis dedit.

XIX. *Nicolaus Intrigliolus*, de quo suo loco, cumulatissima eruditione, vel ab ipsa juventute refertus; edidit. *Super Bulla Pontif. Nicolai V. & Reg. Pragmatica de Censibus lib.* I. *De Feudis Tractatum*. *De Feudis Centuriam* II. *De Substitionibus Centurias Tres*. *Singularium ad Regni Sicil. Constit: Pragmat: Capitul: & Consuetud: Libros duos*. *Singularium lib.* III. *De Casibus Conscientiæ Tractatum*. *Decisionum Aurearum M.* R. C. Regni *Siciliæ librum*. *Consiliorum, sive Responsorum Lib: primum*. *De Vera Juris Prudentia Tractatum*. Reliquit m. s. *De Censibus Centuriam* III. *&* IV. *Decisionum Tomos* IX. *Nicolaus Intrigliolus J. C.*

XX. *Andreas Veglia Catanensis* in Patria Academia ad plures annos Medicinæ primarius Interpres, Comes Palatinus, à doctrina insigniter commendatus. Memoratur de Andrea, quod ex puellæ cujusdam cantu, proximam, & repentinam illius mortem præsentiit. De quo cum laude scribit Grossus in Decachordo. Ubi *Antonium* quoq: *de Catania* pluries in patria Academia medicæ facultatis professorem. *Joannem Mercurium* ad pestiferæ febris occurrendum malis promptissimum, quocirca *Phœnix* est appellatus. *Antonium Cammari* Chirurgiæ experimentis celebratum. *Joannem Barbutum*, *Joannem* Riera Patriæ Archiatrum, *Andreas Veglia Medicus. Aliique Medici.*

& *Nicolaum Spezzapane* ab scientia, & peritia insignes memorat. Quorum tempora incerta. *Hieronymi Dagranetii* Catanensis Pharmacopolæ, & Chimici expertissimi meminit etiam Mongitorius in Biblioth: qui librum edidit Italicè sub titulo *Collectio Arcanorum. Raccolta di Secreti.* Messanæ. MDCXVIII.

Gaspar Riera J.C. XXI. *Gaspar Riera* Juris scientiâ, ac eruditione insignis, ac in patrio gymnasio ejusdem facultatis publicus interpres. Scripsit *Ad Bullam Nicolai V. & Reg. Pragmat. de Censibus Apostillas*, quas habes apud Petrum de Gregorio typis Panormitanis excusas 1609. Floruit circa MDCXV. De eo Grossus in Decach: & Mongitorius.

Marius Burgius J. C. *Marius Burgius* à doctrina, & muniis satis alibi laudatus edidit *Tractatum de Laudemio. Methodi Criminalis de modo procedendi ex abrupto Centuriam Primam*. Reliquit m. s. *Comment. ad Pragmaticam de Censibus*.

Scipio Portius Medicus. XXII. *Scipio Portius* Catanensis Philosophus, & Medicus paucis comparandus, in publica Academia Philosophicas scientias per annos LX. est interpretatus. Nonagenarius fato cessit in patria, postquam editis operibus immortale sibi nomen comparasset, anno MDXXVII. Ejus effigies in ære incisa, habetur præfixa operi Physiologico cum hac epigraphe: *Scipio Portius Duodenis Lustris In Catan: Gymnasio Primus Philosophiæ Interpres Suæ Ætatis Octogenarius.* In lucem emisit: *Primordia in Arte Dialectica Erudiendis necessaria. Opus Phisiologicum, in quo varia Quæsita, scituque digna, diligenter discussa elucidantur*. Commendatur Pirro, Vincentio Riccio in Explic. Bullæ Cruciatæ, par. 1. ad §. 6. n. 11. Grosso, & Mongitorio.

Catal-

XXIII. *Cataldus Fimia*, de quo alibi, vir studio, ac scriptis indefessus, Regni Pragmaticas in meliorem ordinem redegit, una cum Petro Amico, & Roccho Potenzano; ipse verò plurima reliquit ingenii monumenta, nempe *Justificationes Sententiæ in causa petitionis vindicatoriæ Feudorum in titulum Baroniæ Asprimontis. Repertorium Feudale. Repertor. Volum.* XII. *Allegationum Volum.* XXVIII. Quatuor hæc ultima m. s. habentur. Primum opus sine loco, & Typographi nomine circumfertur. *Scipio Sapientia* Jurisconsultus, doctrinâ clarus, Causarum Patronus non obscuri nominis, vixit circa annum MDCXL. Ipsum laudant Franc. Baronius de Effect. Minor. Ætatis Effect. 7. n. 34. & Mongitorius in Biblioth. Edidit: *Annotationes ad Lib.* 3. *Singularium Nicolai Intriglioli. Allegationes pro D. Constantia Xara. Petrus Amicus* alibi memoratus Pragmaticas Regni, uti diximus, in meliorem formam concinnavit; scripsitque *varia Allegationum volumina*, *Juris Interpretationes*, *ac Repetitiones*, quæ publicam lucem non aspiciunt. De eo Mongitorius, Grossus, Ansalonius in sua familia, aliique.

Cataldus Fimia J. C.

Scipio Sapientia J. C.

Petrus Amicus J. C.

XXIV. *Octavius Rizzarus*, vir patricius, ac Poeta ingeniosissimus, quem Galeanus, Grossus, & Mongitorius laudibus exornant. Ejus extant Cantiones Siculo idiomate in Musis Siculis par. I. *Cæsar Gravina*, Eques Jerosolymitanus, fecundæ, vividæque venæ poeta, Etrusca, & Sicula lingua multa scripsit. Obiit Massiliæ anno MDCXXX. Hujus elogium habes apud Galeanum in Musis Siculis par. II. Tom. I. ubi etiam ejusdem *Siculæ Cantiones*, sicut & in parte IV. *Cantiones Siculæ Sacræ* leguntur. Circumfertur sub ejus nomine sub Anagrammate *Cæsaris Vinagræ* Opella, cui titulus: *Lu Cattiqu Cuntenti Lætus Viduus*, quæ plu-

Octavius Rizzarus Poeta.

Cesar Gravina Poeta.

pluries Panormi recusa, prodiit ultimo 1662. Mongitorius denique scribit se vidisse Cæsaris nostri ingens Carminum volumen, quod plurimorum manibus terebatur. *Andreas Rizzus*, vernacula lingua, multa lepidè, venustèque cecinit. Ipsum laudat Joseph Galeanus in Musis Siculis, ubi Tom. 1. par. 11. ejus habentur *Cantiones Siculæ*. Idem denique Galeanus *Josephum de Judice* Catanensem memorat, peritissimum, insignemque poetam, cujus *Cantiones Siculas* leges in laudatis Musis Siculis par. 1.

Andreas Rizzus Poeta.

Joseph Judice Poeta.

XXV. *Hieronymus Manna* Pictor haud contemnendus, & eximius Poeta, politioribus literis egregiè excultus, inter *Humoristas*, & *Fantasticos* Romæ Academicos, *Otiosos* Neapolis, & *Reaccensos* Panormi non sine laude recensitus, effulsit, & eruditorum amorem sibi conciliavit. Obiit in Patria anno MDCXL. in S. Mariæ Annunciatæ templo conditus cum epigraphe, quem exscribit Mongitorius. Edidit Italicè *Licandrum Tragicomediam Pastoritiam*. *Carmina* in libro: Carmina *Humoristarum* Romæ. *Jacobus Romanus*, cujus supra meminimus cap. 4. *Cantiones Siculas* scripsit, quæ in Musis Siculis tom. 7. par. 11. extant; Laudatur ab eodem Mongitorio, qui *Alberti Policii* etiam ęre incisas tabulas refert, ubi Nobilium Familiarum Catanensium, ac Dynastarum insignia exhibet.

Hieronymus Manna Poeta.

Jacobus Romanus

XXVI. *Franciscus Tedeschius* parentibus nobilissimis natus, Busialchæ, & Casalis Baro, equestri disciplina instructus, & eruditione præstans. Pluries patriæ Pater, ac Senator, Erysipelate decessit Catanæ IX. Martii MDCL. Edidit Italicè *Eques Hastatus*. Habetur m. s. ejusdem opus etiam Italicè: *Siculæ Venationes*. Illum celebrant Munebria in Musis Excitatis par. 2. Mongitorius in Biblioth.

Franciscus Tedeschius

Ni-

XXVI. *Nicolaus Catanutus* Pharmacopola Catanensis peritissimus, ac Botanicus nulli secundus; Politioribus etiam literis, ac poesi cum primis addictus. Inter Academicos Claros Catanæ effulsit. Typis tradidit *Isagogicon, sive facilis Introductio ad universam Pharmaceuticæ Artis praxim.* Italica verò Carmina part. 1. & 11. Claruit Anno MDCLXI. Illum laudant Munebria par. 1. & Mongitorius. *Vincentius Maurus* Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo S. Theol. Magister edidit librum Italicè, cui titulus *Rector Politicus.* De illo cum laude scribunt Daniel à Virgine Maria in Speculo Carmel: tom. 2. par. 5. lib. 5. & Mongitorius in Biblioth. Obiit in opido Salæ Parthenici MDCLXII. *Eustachius Nicoxia* Vir à politioribus literis, & poesi commendatus. Inter Academicos Claros Catanæ eminuit. Integritate insigni Tabellionem in patria egit, decessitque MDCLXIII. In lucem edidit *Carmen in nuptiis Petri, & Beatricis Moncatæ sub titulo Pallas Consolata.* Reliquit m. s. apud Felicem filium *Tragædias Sacras, & Morales, nec non Comedias,* quas recenset Mongitorius.

Nicolaus Catanutus Medicus.

Eustachius Nicosia Poeta.

XXVIII. *Joannes Rizzarus* Patricius Catanensis legalibus disciplinis egregiè excultus, de quo nos cap. 4. Scripsit *Tractatum de Censibus,* qui, illo adhuc vivente, ac pro tribunali in supremis Siciliæ Curiis sedente, ab Jurisconsultis allegabatur, ac omnium ferme manibus terebatur, nuper verò typis Francisci Valentia lucem aspexit anno MDCCXLII. Panormi. Consule Mongitorium.

Joannes Rizzarus J. C.

XXIX. *Joannes Baptista Guarnerius* Catanensis, Etrusca poesi, ac eruditione clarissimus, nec non pietate morum insignis. Fuit à Secretis Senatus, ac inter Claros Academicos floruit. Ejus opera sunt: *Amoris Insaniæ, Comedia. Præcursor Christi, Tragedia Sacra. Amasenus Idilium. In*

Jo: Baptista Guarneri Poeta.

laudem Francisci Lanario, & Aragona Ducis Carpignani Idilia tria. Trophęum S. Agathæ V. M. Catan: Tragædia Sacra. Gleba Historicæ Catanenses. Calamus vindex contra Fulgentium Arminium pro S. Agathæ Patria. Obsequium Erga B. Agatham. Exercitium Spirituale coram Ss. Eucharistiæ Sacramento. Societas Benefactorum Animarum, quæ piacularibus flammis purgantur. Amicitia fatalis Comædia m. s. Occubuit Guarnerius Catanæ Kalendis Augusti MDCLXV. in Ecclesia Societatis Jesu sepultus. De eo Grossus in Decach: Mongitorius in Bibliotheca tom. I. & in Appendice II. pag. 42.

Franciscus Monachus Histor. XXX. *Franciscus Monachus* Catanensis Presbyter doctrinâ, morumque integritate conspicuus. Amęniores literas amplexus, non sine laude in patria claruit. Ejus extat *Cataclysmus Ætnęus, sive Inundatio Ignea Ætnæ Montis anni* 1669. Eidem coęvus *Petrus Squillacius* S. Theol: Doctor edidit Italicè *Progressus Mirabiles Incendii Ætnensis* 1669. Ab his minimè disjungendus *Carolus Mancinus*, Catanensis Magistratus à Secretis, politioribus literis egregiè imbutus. Obiit Catanæ MDCLXXXIII. Typis consignavit *Narrationem Ætnæi Incendii* 1669. *S. Agnetis Tragędiam, S. Luciæ Tragędiam; Repudium Veritatis, Drama; S. Agatha V. M. Catan: Drama.*

Petrus Squillaci Historicus

Carolus Mancinus Poeta.

Joseph Squillaci Poeta. XXXI. *Josephus Squillacius* politioris literaturæ vir, poesi insignis, inter Claros Catanæ Academicos relatus; Tabellionem in primariis Patriæ curiis egit, atque in lucem dedit complures Tragędias, & Comędias, quarum tituli sunt: *Sancta Agatha; Sabina; Judith; Adranus; Encolinda; Adrianus; Astutiæ; Felicia Infortunia; Lusus Fortunæ, & Amoris. Insoliti Eventus; Fraudes.* Mortale exuit Sexagenarius anno MDCLXXVIII. De eo

Mune-

Munebria in Mula Excitata par. 2. & Mongitorius. *Petrus Capacius* iisdem fermè studiis delectatus, inter Claros etiam effulsit, pluresque amęnissimi, cultique ingenii fętus reliquit, Comędias nempe subtitulo: *Zelotipię vis*; *Justa Inconstantia*; *Æmulatio Amoris*; *Princeps Hermaphroditus*; *Cantiones*.

Petrus Capacius Poeta.

XXXII. *Joannes Rainerius* Catanensis eloquentiâ, & eruditione praecipuus, Cathedralis Ecclesiæ Magister Capellanus, Clericorum Seminarium rexit, ac Catanensibus Episcopis à sacris Cęremoniis fuit. Officinæ Messanensis Sociis accensus, poeticam quoque artem egregiè coluit. Ipsum laudant Joseph Munebria par. 1. ac Mongitorius. Edidit Orationes, quæ sic inscribuntur: *Pompæ Nuptiales pro S. Agatha V. M. Catan. Obeliscus Hieroglyphicus pro eadem*; *Certamen inter Virginitatem, Martyrium, & Patriæ Amorem in ejusdem divæ honorem*. *Fides obfirmata pro Mamertinis*. *M. s. Nox Sacra*. *Martyrum Catanensium Triumphus*.

Joannes Raineri Poeta, & Orator.

XXXIII. *Josephus Munebria* non obscuris parentibus satus, à teneris annis eximiam ingenii indolem politioribus studiis devovit, Musis præsertim Etruscis gratissimus, celebre sibi nomen comparavit, ac præcipuis Italiæ Academiis accenseri meruit, Romæ, Neapolis, Panormi, Messanę, Catanæ, & alibi; ob culta, & amęnissima monumenta non vulgarem assecutus laudem, à civili doctrina, & liberalibus scientiis commendatus, Virisque principibus acceptus, Neapolis præsertim, ac Romæ, ubi majorem ætatis partem transegit. Adversæ fortunæ ęrumnas perpessus, in Patriam subinde remeavit, ubi Catanensi Senatui à Secretis fuit, arduisque negotiis adhibitus conceptæ de se opinioni abundè satisfecit. Catanæ demum Octogenario major vivere desiit anno MDCLXXXIII. Edidit

Joseph Munebria Poeta.

didit Italicè *Musam Excitatam par.* I. & II. *Musam Veracem. Rogerium, sive Siciliam liberatam.* Prælo paraverat *Aspasiæ Historiam Politicam. Sphæram Secretarii Status.* Laudatur à Galeano in Carmin: Lyricis, & à Mongitorio in Biblioth:

Franciscus Morabitus Poeta. XXXIV. *Franciscus Morabitus* Catanensis, nobili loco natus, Horatii filius, omnem ingenii vim politioribus, ac poeticis maximè literis addixit; florentissimo hinc scribendi genere, atque omnigena eruditione claruit. Inter Academicos Catanenses primas semper obtinuit, nec semel cum plausu est auditus. Obiit in patria anno circiter MDCXC. Typis dedit *Catanam Liberatam. Albiram Tragœdiam Politicomoralem.* Scripsit etiam Heroicum *Poema*, cui titulus: *Rogerius Triumphans.* Autographum apud Hieracenses Comites servabatur. Recensentur denique à Mongitorio alia ejusdem opuscula, quæ perierunt, nempe *Siculæ Cantiones Tomi* II. *Italicæ Cantiones Centuriæ duæ; Dramata; Orationes; Flores Moralis Theologiæ; Statista Regnans; & Privatus Politicus &c.* Sub idem ferme tempus claruit etiam poetica laude

Ignatius Tedeschius Poeta. *Ignatius Tedeschius & Paternionius*, qui in Catanensi Clarorum Academia pluries Principem locum tenuit, atque eruditorum plausus obtinuit. Catanæ periit inter Terremotus ruinas anno MDCXCIII. Commendatur etiam à peritia in rebus musicis, ediditque *Creontem Drama; Neronem Drama.* M. s. reliquit *Elvisam Drama; Calpendram Trag. Moral: Carmina varia.* De eo Mongitorius.

Joan. Bapt. Motta Medicus. XXXV. *Joannes Baptista Motta* Catanensis facultatis medicæ insignis professor, qui pluries in patrio Archigymnasio eamdem docuit, ac summa nominis celebritate per universam Siciliam claruit. Illud de eo precipuum memoratur, quod ex primis arteriæ pulsationibus, nedum de morbi indo-

le,

le, sed & de symptomatibus, progressu, & fine judicaret, reique exitus vera esse judicia demonstrabat. Mortem nactus est senex. Ejus laudantur Notæ, quibus, quotquot evolvit libros, ad medicam facultatem spectantes, illustravit. Servant has, ac in magno pretio habent Eruditi tum Catanæ, tum Messanæ.

XXXVI. *Joannes Raymundettus Sanmartinus*, quem alibi laudavimus, in lucem emisit *Responsum Juridicum super Spoliis, ac Fructibus Viduarum Ecclesiarum Regni Siciliæ*. Memoratur Gastono discep: pro Stud: Catan: Auriæ in Chronol. Proreg. Pisano in Animad: 13. Juris, Masbel, & Mongitorio. *Ignatius Gastonus* superius etiam commendatus. Edidit *Consultationem pro stipendiis militum*. *Disceptationes Fiscales Tom.* I. & II. *Disceptationes Juridicas pro Catanensi Gymnasio*. *Disceptationes Juridicas de Dotibus de Paragio*. *Justificationes pro R. M. Curia*. Reliquit m. s. *Consultationes Politicas*; *Disceptationes Criminales*. *Disceptationes Patrimoniales*. De illo cum laude scribunt Pisanus in Animadv. Juris 19. n. 63. Agetas de Moles part. I. Notit. Ærarii Universitatis §. 2. n. 4. Pasqualinus in Comment. Prag. Neapol; aliique apud Mongitorium. *Joannes Raymundettus J. C.* *Ignatius Gastonus J. C.*

XXXVII. *Dominicus Guglielminus* Catanensis Ordinis Minorum, quos Conventuales appellant, in Romano primùm Soc. Jesu Collegio gravioribus scientiis operam navavit, ac per decennium clericali habitu insignitus Romæ vixit, ubi ingenii felicitatem, singularemque in eloquentiæ, & poesis studiis peritiam detexit. Celebrioribus idcirco Academiis accensus, inter *Humoristas*, *Infœcundos*, & *Implicatos* Romæ, inter *Gelatos* Bononiæ, & Venetos *Dodoneos* effulsit; In Academiam demum Romanam Emin: D. S. R. E. Card. Petri Octobo- *Dominicus Guglielminus Poeta*

ni adſcriptus, maximo honoris argumento ab eodem Cardinali primus adlectus eſt, qui Orationem ad ſocios in magna Eruditorum frequentia, Principum, ac Præſulum corona haberet. Ordinem ingreſſus, Baccalaurei munus obtinuit, atque Concionatoris partes ſumma cum laude in Principe Panormi Templo, in S. Petri Regio Sacello, & Cœnobii ſui Eccleſia, atque alibi profeſſus eſt; à Proregibus Uzedæ, & Veraguæ Ducibus, aliiſque viris principibus, & Archiepiſcopo de Bazan ingenti cum voluptate, & plauſu ſemper auditus. Cæterùm ab honoribus perpetuò abhorrens, vel carmina pangendo, vel tabulas pingendo, quum diu Romæ vacaſſet, anno MDCCX. ibidem fato functus eſt. Vulgavit *Innocentiam vindicatam*; *Regem Tyrannum*; *Tragicomędias morales. Sarmatam Triumphantem*, *Odem pro Victoria Viennæ parta*; *Panormum Liberatam Orationem Allegoricam. Famę volatus in morte Elenæ Cornariæ Piſcopiæ. Catanam deſtructam ex Terræmotu anno* 1693. Prælo paravit *Orationes Panegiricas*; *Theatrum Cillenii*; *Orationes Academicas*; *Carmina*; *Dramata*; *Penicilli Otia* &c.quæ Clariſſ.Mõgit.in Bibl.enumerat.

Joan. Andreas Maſſa Hiſtor.

XXXVIII. *Joannes Andreas Maſſa* Chriſtophori filius, genere nobiliſſimus, apud Finalem Januenſium natus, ſed quum adhuc in cunabulis eſſet, Catanam à parentibus deductus, ibique ingenuè educatus, ut annum XV. attigit, Societatem Jeſu expetiit, & obtinuit, ubi brevì ad ſupremum doctrinæ apicem pervenit; Eloquentiâ enim plurimùm valuit, Philoſophiam, ac Theologiam ſumma cum laude Meſſanæ, ac Panormi docuit, pluresque diſcipulos inſtituit. Hiſtoriæ hinc peculiari ſtudio animum adjiciens, de Rebus Siculis Scriptores omnes evolvit, ingentemque eruditionem nactus, præcipuarum Urbium Inſulæ noſtræ tabulas

las in lucem dedit. Supremis denique muniis in provincia perfunctus, magno sui desiderio relicto è vivis Panormi excessit anno MDCCX. ætatis L. Ingens opus de Siciliæ Historia moliri cœperat, sed nonnisi duas tantùm partes typis tradidit, sub titulo: *Sicilia in Prospectu*, in quorum prima de *Ætna Monte* uberrimas notitias, ac de reliquis Insulæ *Montibus*, *Cavernis*, *Fluminibus*, &c. exhibuit; in secunda *de Urbibus*, *Opidis*, &c. *quæ non extant*, *atque supersunt*, egit. Reliquos verò tractatus, juxta Ideam in Præfatione propositam, morte præventus, imperfectos reliquit.

Christophorus Amicus J.C. & Histor.

XXXIX. *Christophorus Amicus*, de quo nonnulla cap. IV. prælibavimus, ad cumulatissimam juris scientiam, eximiam eruditionem Historicam adjecit, quam, indefessa in evolvendis libris cura, ac improbo studio, ad extremum usque spiritum, eò provexit, ut de quocumque, retroactis sæculis, gesto facinore interrogatus, abundè, & affluenter, nec sine ingenti amicorum oblectatione, ob lepidissimam linguæ facundiam, petenti faceret satis. Reliquit ultra complura Allegationum volumina, *Cronologiam*, & *Geonologiam Universalem* XII. Tomis comprehensam, ac prælo paratam, in qua Monarchias cum veteres, tum recentiores, earumque ortum, inclinationem, interitum, Principes, horum prosapias, successionesque dilucidè, ac facili methodo exhibet. Servantur ab illius hærede Joanne Amico & Statella, unà cum innumeris aliis à Christophoro descriptis monumentis, quæ è publicis eruit Tabulariis.

Nicolaus Tezzanus Medicus, & Orator.

XL. *Nicolaus Tezzanus* Catanensis anno MDCLIX. die XVIII. Decembris honestissimis parentibus natus, nonnisi septennis primas emisit voces, ex quo literis tanta ingenii felicitate incubuit, ut Philosophicis, Theologicis, & medicæ facultatis studiis

diis brevì emenſis, ac Doctorali laurea inſignitus, Chirurgiam in publica patriæ Academia, ſummo cum plauſu, quarto ætatis luſtro nondum expleto, ſit interpretatus. Dionyſium Mottam Magiſtrum nactus, de quo ſuperius diximus, ſedulo ſtudio, aſſiduiſque obſervationibus, morborum vim, pharmacorum virtutem, atque humani corporis indolem ſcrutatus in penitiores medicinę adytus penetravit, ac veluti ejuſdem ſcientiæ oraculum evaſit. Gravioribus diſciplinis, poeſis Latinę, & Etruſcæ, ac Eloquentiæ vel maximè, qua plurimum eſt delectatus, ſtudia adjunxit, magnamque ſui nominis famam nedum Catanę, ſed & Panormi etiam excitavit. De ſuis Civibus optimè meritus, quotquot ex horrifico terręmotu de an. MDCXCIII. ſuperſtites fuere, mira, ac Chriſtiano homine digna, charitate, fovit, iiſque continuò adfuit; hinc Archiatri Catanæ, Acis, Maſcalarum, confiniumque pagorum, ac primarii Medicinę Profeſſoris munere, plaudentibus omnibus, donatus, provinciæ huic ad mortem uſque egregiè ſatisfecit. Anno MDCCV. Comes Palatinus, ſubindeque à Sereniſs. Victorio Amedeo Regię Domus Phyſicus renunciatus, ut perpetuò Archiatri, & Primi Cathedratici dignitatibus frueretur, obtinuit. Patriam denique variis ſibi titulis obſtrinxit; Publici enim Gymnaſii jura ſtrenuè Panormi propugnavit, ac feliciſſimè ſarta tecta ſervavit; Noſocomii inſtaurationem poſt Terręmotum inſigniter promovit, atque in area olim Steſichori novum & ampliſſimum conſtruxit; Eccleſiamque S. Mariæ ſub titulo *de Litera* proprio etiam ęre fundavit. Viris principibus, ac privatis apprime charus, ęterna ſui relicta memoria è vivis deceſſit anno MDCCXXVIII. die XXIV. Octobris Ætatis LXIX. cujus funus ſplendidè, ut tantùm decebat virum, curatum eſt. Reliquit pręclariſſimi

mi ingenii monumenta *In Hippocratis Aphorismos Commentaria*, *Orationem in Auspicatione Studiorum*, *& in Promotionibus ad Lauream innumerabilium penè Candidatorum Volumen*, quę m. s. penes Nicolaum Fallicam Collegialis Ecclesiæ Cantorem, Hæredem, ac Nepotem asservantur. Habes denique typis editam Orationem in ejusdem funere ab Innocentio Savonarola ex Clericis Regularibus, doctissimo Ecclesiaste, habitam.

XLI. *Franciscus Gastonus* Ignatii filius Regii Patrimonii Præses, de quo jam supra, quum Patronum Causarum Panormi ageret, edidit: *Allegationes in causa Præcedentiæ. De spatio Asyli Ecclesiastici in causa Immunitatis Canon. Dissertat.* Prælo paraverat eximium opus *de Re Criminali*. Illum commendant Cirinus de Nexu Rerum Eccles: cap. 7. sec. 1. ac Mongitorius in Auctario ad Sicil: Inventr: cap. 45. & in Biblioth: Sicula. *Franciscus Gastonus J. C.*

XLII. *Hyacinthus Paternionius Castellus*, ex Ducibus Carcacis, Vincentii filius, Philosophię primùm, mox Legali scientiæ incubuit, quibus ad animi culturam, atque ingenii exercitationem usus, eloquentiæ, ac poesi totum sese addixit, in iisque celeberrimus evasit. Hinc inter *Boni Gustus* Panormi Academicos, & *Joviales* Catanæ claruit, ad quos ingenti cum plausu non semel Orationes, panegyrica eruditione refertas, atque ad artis miraculum cultissimas, habuit. Patrię amore flagrans, quæ ad illius decus promovendum conducere videbantur, tota animi contentione aggredi visus est, nihilque intentatum relinquere passus, me ad hoc de ejusdem Historia opus perficiendum stimulis adegit, consiliis, immo & suppetiis juvit; in publicis enim Tabulariis evolvendis mecum sępissime insudavit, vetustisque colligendis monumentis strenuam navavit operam. A morum innocentia *Hyacinthus Paternionius Poeta, & Orator.*

præcipuè commendatus, vitę honestate, Christianis virtutibus, heroicisque operibus ad extremum usque spiritum insigniter suos inter ęquales enituit; quumque majora illius animi magnitudo, ingenii præstantia, ac non vulgaris doctrina, nobis pollicerentur, immaturo fato, ætatis anno XXX. Domini verò MDCCXXXVIII. die XV. Julii, piissimè, ut vixerat, decessit. Ejusdem typis vulgatas, ex multis, quæ scripsit, habemus *Orationem de S. Cajetano Thieneo*, & aliam *in funere Raymundi Rubj Catanensis Episcopi*, utrasque *ad Jovialium Cętum*. Reliquit m. s. varia Etruscæ Poesis monumenta, quæ justum volumen collecta conficerent, aliquot Elogia Virorum Illustrium Gentis Paternioniæ, quæ unà cum aliis lucem, quam primùm publicam aspicient. Plenissimè laudatur à Hyacintho M. Paternionio Bonajuto in Oratione Panegyrica.

Josephus Asmundus Pater. J. C. XLIII. *Josephus Asmundus Paternionius*, quem cap. XIV. commendavimus, Catanæ patrocinium, quum in supremis Regni tribunalibus suscepisset, ad Serici conficiendi jus eidem firmandum, contra Messanensium conatus, doctam edidit *Allegationem, qua hujusmodi Artificium nullimode Catanæ esse abrogandum* clarissimè evicit, & obtinuit. Vivit Regii Fisci Patronus, ac Regius Consiliarius. *Franciscus Arrigus* Catanensis Philosophiæ, ac Medicinæ, nec non Juris utriusque Doctor, naturales scientias primùm, mox Cęsareas, ac Pontificias Sanctiones summa ingenii felicitate didicit, in iisque mirè profecit. In Catanensi prętorio sæpius Judex, sacrorum Canonum in publico Gymnasio Interpres, adhuc hodie effulget. Typis dedit *Codicem Arriganum*, in quo selectiores, ac difficilliores Juris Quęstiones resolvit, doctisq; Commentariis illustrat. Habet prælo paratum ejusdem argumenti Tomum Secundum.

Franciscus Arrigus J. C.

Augu-

XLIV. *Augustinus Giuffrida* Catanensis Artium, & Medicinæ lauream ab ipsa juventute assecutus, virtute comite brevì ad supremum Archiatri, & Primarii Medicinæ Theoricæ Professoris in patrio Atheneo munus evectus, illud hodie non vulgaris gloriæ laude illustrat à Prima Philosophia. Academiæ Clarorum Medicę promotor, & Protector, nec non Jovialium, & Ætneorum Socius, Etruscis, ac Latinis Musis apprimè charus, utrasque eximiè colit. Emisit in lucem *Argenidem* Italicis scenis accommodatam; Poema, cui titulus *Apollo in Poetas*; Orationes pro studiorum instauratione, *Incitamentum ad literarios labores*; *Le rerum recentium studio*; *De Fortuna Medici.* Academicam exercitationem; *An Bruta aliquot præ hominibus sensitivas exerceant functiones*. *In Physico Medicam Theoriam Compendiariam Expositionem*; *Tyrocinium Physicum per varias assertiones expositum.* Alia ingenii monumenta in dies prelo parat: *Ut Prælectiones Catanenses in decimam Aristotelicorum problematum sectionem. De Peste Lectiones in Catan: Universitate habitas*: puresque lusus Academicos. *Augustinus Giuffrida Medicus, & Poeta.*

XLV. *Ignatius Paternionius* Biscaris Princeps Vincentio, & Anna Maria Scammacca progenitus. Politiores literas, ac Philosophicas scientias in Panormitano Imperiali Nobilium Ephebeo didicit, atque Etruscis Musis præ cæteris animum addixit. In Patriam reversus, Jovialium Academię Princeps renunciatus, præfecturam ad triennium summa cum laude gessit. Musæum Paternionium, nullis parcens impensis, hinc ad animi oblectamentum instituit, quod alibi descripsimus, ac novi Ætnensium Cętus, promotor, ejusdem Coriphæus eligi, communi Pastorum voto, meruit. Edidit in *Laudem Caroli Borbonii Siciliç, & Neapoleos felicissimi Regis* *Ignatius Paternionius Poeta*

gis Heroicum Poema, cui Jovialium non pauca Italica Epigrammata, nec non Latina, Odesque, & Cantiones adnectuntur.

Franciscus Honoratus Columna. XLVI. *Franciscus Honoratus Columna* Patre Marco-Antonio Columna ex Catanensibus Dynastis, qui cum uxore Dianira Raymondetta Panormi anno MDCLXXXIII. versabatur, ibidem exortus, mox Catanam transvectus, in S. Nicolai Benedictino Cœnobio literarum stipendia fecit. Sacerdotio initiatus, Historiis evolvendis, perscrutandisque veteribus monumentis se totum devovit, studiisque amœnioribus etiam, ac Poesi strenuè incubuit, maximam idcirco eruditionem consecutus. Scripsit *Historicam notitiam Opidi Paternionis. Ideam Historicam* Randatii, *Siculæ nobilitatis Insignium Pinacothecam* Italicè *Gallaria*: *Vitas Catanensium Pontificum. Amazonem Columniam, seu de Familia S. Agathæ V. M. Catan. De Inscriptis Lapidibus, olim, ac recenter Catanæ inventis Epistolas. Acis Opidi Originem.* Alia in dies molitur.

CAPUT SEXTUM.

CIVES ARTE ALIQUA, AUT FAMA CELEBRES.

I. CEres Sicula, & Catanensis, Lactantio, Alexandro, aliisque testibus, de qua lib. 1. quum homines vesci glandibus adverteret, frumenti usum adinvenit, aratro terram scindere, semen solo mandare, segetes colligere, panem denique conficere, suos docuit, hinc Orpheus in Hymno Cereris canit:

Colla Bovum, quæ prima gravi subjecit aratro
Felicemque dedit victum mortalibus.

Ob

Ob id Vincentius Auria in Sicil. Inventr. cap. 1. §. 1. & Clariss. Mongitorius in Auctario ad eamdem pag. 78. Inter Siculos Rerum Inventores Cereri primum tribuunt locum, Cererem rursus Statuta, & Leges ad mores hominum componendos adinveniſſe teſtantur Cicero in Verr. Act. 7. Plinius lib. 7. cap. 56. Diodorus lib. 1. & 5. aliiq: poſt ipſos. Quare Plutarchus Colorem quemdam arguit, quod auſus ſit Cereri legum inventionem denegare. Legiferam proinde ob id dictam, ejuſque feſta Theſmophoria appellata volunt. Eam veſana Gentium credulitas Deam putavit, interque præcipua ſua numina repoſuit; in magna idcirco fuit veneratione nedum apud Siculos, quorum Inſula Cereri ſacra, ſed apud Ægyptios, qui ſub Iſidis nomine illam impenſe colere, diviniſque honoribus venerari conſueverunt. Conſule Cartarium Imag. Deor. Natalem Comitem Mythol: lib. 5. cap. 13. Lilium Gregor. Gyraldum Syntag. de Diis Gentium, Voſſium in Theolog: Gentium.

II. *Andronus* Catanenſis, Muſices peritiſſimus, qui morem ſaltandi ad ſonum tibiæ, necnon geſticulandi, rythmoſque canendi induſtriam invenit, ut teſtis eſt Athenæus lib. 1. cui Cœlius Rhodiginus, Goltzius, Fazellus, Pirrus, Auria, Groſſus, Carrera, Raguſa, aliique ſubſcribunt. Verba Athenæi ſunt: *Theophraſtus inquit Andronem Catanenſem tubicinem, primum, quum tibia luderet, corporis motus aptos, & concinnos addidiſſe, indeque veteres Sicelizin ſaltare dixiſſe*. De eo nos lib. 11.

III. *Chromius*, quem ob ſingularem modeſtiam, probitatem, & fortitudinem Hiero Syracuſarum Tyrannus unicè dilexit, & urbi Catanæ, Ætnæ appellatæ, præfecit, Currus agitandi, regen-

dique arte præcipuus; hinc Victor in Pythiis semel evasit, uti Pindarus testatus, qui Odem *Chromio Ætnæo Victoriam Adepto Curru* inscripsit, ubi ejusdem laudes enarrat, virtutesque eximias extollit. Illum alibi lib. II. commendavi.

IV. *Nicolaus* vulgo *Cola Piscis* Catanæ ortus, vir cunctis sæculis, ut Fazellus ait lib. 2. dec. 1. cap. 2. Urinator admirandus, qui omnem fere vitam in fretò Messanensi inter pisces peregit, unde illi nomen *Piscis*. Is plura hominibus naturæ abdita, atque ignota de ipso illo freto aperuit, quum veluti marinum animal maxima ejus profunda, spatiaque immensa, fœda etiam tempestate reluctantibus aquis, natatu peragraret, navibus hinc ultro, citroque transeuntibus, sæpe obvius, nautisque cognitus, iis responsa, aut sibi commissos nuntios referebat, ac longissima per mare itinera suscipiebat. Quum porro præcipuo quodam, sollemnique festo die, spectante populo, Fridericus Rex pateram auream in fretum dejecisset, ac Colæ inquirendam commendasset, semel atque iterum ille è profundo vado eruit, tertio tandem à Rege projectam, in mare mersus, dum per imam fundi aream indagat, diu expectatus ad vivos numquam emersit; hinc suspicatum in concavas freti cavernas prolapsum, atque inundantibus undique aquis oppressum interiisse. De eo Alexander de Alexandro, Pontanus in Chron. Fazellus, Maurolycus, Kircherus, & alii.

V. *Philippa* Catanensis, inops mulier fullonia, ingenio sagax, corpore venusta, Ludovico Regio infanti Roberti Ducis, & Violantæ filio nutrix adscita, post Violantæ mortem, defuncto quoque puero, Neapolim transvecta, in Regiæ domus famulatu perseveravit, & apud Xanctiam Reginam, quæ secunda fuit Roberti uxor, nec non a-

pud

pud Carolum Roberti filium, ejusque conjugem Mariam optimo in loco habita, Raymundo Campano, natione Mauro, Regiæ domus Præfecto, ac demum Senescalco nupsit, cum quo tres liberos suscepit. Horum primum patris in officio successorem, brevì Xanctia filia relicta, è vivis sublatum, uti & secundum amisit, tertium vero nomine Robertum, qui ad Sacerdotium aspirabat, in equitatu, bonisque fratrum, habitu deposito, hæredem, Xanctiamque neptem Marconensium Comiti in matrimonio collocatam vidit. Quum porro Joannam Caroli Regis, & Mariæ filiam Regni hęredem sua sub tutela, & cura, mortuis parentibus, accepisset, ex nimia insolentia fortunam tandem ad indignationem movit. Exortis enim inter Joannam, & Andream ejus conjugem dissidiis, Philippa cum Roberto filio Regni Senescalco jam constituto, omnia ad nutum, neglecto Andrea, disponere cępit. Audito hinc à Clemente Rom. Pont. decretum fuisse, ut Regia administratio omnino Andreę deferretur, sibi timens, unà cum aliis in Regem conjuravit. Non diù post Andreas in Regia Basilica Aversæ laqueo suffocatus inventus est, perque vulgum rumor increbuit, Philippam cum suis tanti facinoris authorem fuisse; quippe sub iis, & Regiæ domus, & Regni summa consistere. Universi itaque, & fautores ipsi Reginæ, ut à se crimen repellerent, in Philippæ, suorumque interitum conversi sunt, dataque, communi omnium magno cum consensu, inquirendæ rei, sumendique de noxiis supplicium, Ugoni Avellinensium Comiti provincia; Hic Robertum Senescalcum, ejusq; Matrem Philippam, neptemque Xanctiam in vincula conjecit, mox tormentis ad perpatrati criminis confessionem adactos, singulos singulis plaustris impositos, candentibus forcipibus excarnificari jussit.

jussit. Philippa inter carnificis manus expiravit; Robertus, & Sanctia ad palos cremati sunt.

VI. *Paulus Canalius* Catanensis Archipirata celeberrimus, qui Venetis strenuam navavit operam, uti Nicolaus Doglionius testatur. Mortuus Venetiis anno MCCCCXCI. in S. Augustini cœmeterio conditur.

Pag. 227. lin. 2. post *excusum* adde. *Franciscus Asmundus* nobilissimi generis, Clericis Regularibus, quos Minores vocant, ab adolescentia accensus, summus Philosophus æquè, ac Theologus evasit. Sacrasque scientias ingenti plausu, ac nominis celebritate in publica Catanensi Universitate ad triginta & amplius annos explanavit. Obiit in patria octogenario major, relictis compluribus ingenii monumentis, quæ m. s. asservantur, anno MDCCXLII.

Pag.253. lin.9. post *habitam* adde. *Joannes Gaglianus* Artium, & Medicinæ Doctor, Philosophiæ per complura lustra primarius in patria Academia professor, morum honestate, atque in Deum pietate clarus, obiit plenus dierum anno MDCCXXIV. *Didacus Maurus* Juris Oraculum, Mathesis studiis, literisque politioribus etiam addictus. Senex, quum Ecclesiasticæ militiæ nomen dedisset, sede Episcopali vacante Generalis Vicarius adlectus, summa prudentiæ laude claruit. Decessit Octogenarius anno MDCCXXXV.

Pag.228. lin.31. post *meditatur* adde *Benedictus M. Ricciolus* Societ. Jesu nobilitate clarus, ingenio clarior, musisque charissimus, typis dedit Orationem in S. Juliani Epis. Cænomanensis laudem. *Franciscus Pugliesius* Sacerdos, Majoris Eccles. Pulchripassus Canonicus, Poesi, solidisque scientiis excultus, edidit Vitam, & Martyrium S. Agathæ octavo, ut ajunt, rithmo Italico.

FINIS.

A

Abbas Panormitan. Vide Nicol. Tedeschi.
Academia Privilegia firmantur pag. 2. 12. 24. Ejusdem Leges reformantur 9.
Adamus Asmundus J. C. Sicil. Præses 157. 231.
Aegidius Columna Abbas Novælucis 137.
Aetnæ Incendium Anno 1708. pag. 1. Anno 1723. pag. 8. Anno 1733. pag. 20. Anno 1735. & 36. pag. 21. & 22.
S. Agatha Ecclesia instauratur pag. 4. Ejusdem Patria asseritur pag. 34. & seq.
S. Agatho Pan. Max. pag. 64. 141. 196.
Agatha Platamonia Monialis pag. 76.
Agathinus Paternionius Proreg. Vicar. 179.
Agathinus Tedeschius Soc. Jes. 229.
Albarus Cienfuegos Episc. Catan. pag. 7. S. Victorini m. Corpus Catanam transmittit 8.
Albarus Paternionius Senator pag. 167. 233.
Albertus de Rocca Abbas Maniacii 133.
Albertus Politius Histor. pag. 244.
Alexander Burges Episc. Catan. pag. 8.
S. Alexander Catan. Martyr. pag. 70.
F. Alexander à Catan. Capuc. pag. 75.
Alexander Caputus Episc. Mazariæ pag. 130.
Aloysius Suppa Episc. Agrigen. pag. 127.
Aloysia Vintimillia Monialis pag. 87.
Aloysius Paternionius M. R. C. Jud. pag. 190.
Alphonsus Marchesana Soc. Jesu pag. 100.
Alphonsus Paternionius miles pag. 170.
Ambrosius Joenius Pisarum Prior pag. 171.
Amenanus Amnis exundat pag. 4. 23.
Andreas Riggius Episc. Catanam redit pag. 1. Ejus Sepulchrum 3. Majorem Basilicam instaurat 4. 5. Romam contendit ibid. Fit Constantinop. Patriarcha 7. Moritur Romæ Ibid. Ejus Cadaver Catan. transfertur. 8.
Andreas de Manuele Abbas Noariæ pag. 134.
Andreas Statella Carmelita pag. 11.
Andreas à Catana Capucc. pag. 81.
Andreas de Castello Orator ad Regem p. 158.
Andreas Inguardiola Siciliæ Quæstor p. 158.
Andreas Laus Theolog; & Script. p. 216.
Andreas Barbatia J. C. & Script. p. 232.
Andreas Rizzus Poeta p. 244.
Andreas de Urso Theol. p. 205.
Andreas Veglia Medicus p. 241.
Andronus Tubicines p. 157.
B. Angelus Senisius Ben. p. 63. 198.
Angelus de Bonioanne Ab. S. Nicolai p. 138.
Anonymi Catanenses Scriptores pag. 197.
Antoninus Amatus M. R. C. Jud. pag. 190.
Antonius Alagona Episc. Melitæ pag. 126.
Antonius Alexandrano Legatus ad Reg. pag. 168.
Antonius de Alexandro Medicus pag. 230.
Antonius Catellus Fisci Patron. pag. 170.
Antonius de Castello Miles Mess. Strategus 158.
Antonius Episc. Metropol. Catan. pag. 121.
Antonius Bonajutus M. R. C. Jud. pag. 168.
Antonius Fazanus Theol; & Scrip. pag. 205.
Antonius M. Coltrarus Soc. Jes. Scrip. p. 229.
Antonius Cammari Medicus pag. 241.
Antonius Morerius Carmel. Theol. pag. 202.
Antonius Lancea J. C. pag. 168. 234.
Antonius Piscis Theolog. Script. pag. 201.
Antonius Platamonius Episc. Melitæ pag. 124.
Antonius Paternionius Agyræ Abbas pag. 135.
Antonius Catania Medicus pag. 241.
Antonius Rizzari S. Nicolai Abbas pag. 137.
Antonius de Vulpono Episc. Melitæ pag. 124.
Antonius Platamonius J. C. pag. 236.
Apollonia Zuccarello Monial. pag. 81.
Artalis de Alagona Siciliæ Justit. pag. 152.
S. Athanasius Episc. Methonensis pag. 64. & seq.
Augustinus Nicotra Theolog. pag. 204.
Augustinus Ginffrida Medicus pag. 254.

B

Balthassar Morabitus Bened. Scrip. pag. 216.
Bartholomæus Asmundus Poeta pag. 237.
Bartholomæus Muscus Ab. S. Nicol. pag. 132.
Bartholomæus de Luna Ab. S. Nicol. pag. 134.
Bartholomæus Joienius Miles pag. 154.
Bartholomæus Rizzarus Ab. S. Nicol. pag. 133.
Bartholomæus Scalceatus Ab. S. Nicol. pag. 132.
Bartholomæus Statella Miles pag. 164.
Benedictus Asmundus Ab. S. Nicol. pag. 141.
Benedictus Asmari Reg. Capell. pag. 144.
Benedictus Capunnettus Theol. pag. 210.
Benedictus Paternionius Miles pag. 153.
Benedictus M. Ricciolus S. J. Orator pag. 260.
Berlingherius Cruillas Talassiarcha pag. 152.
Bernardinus Paternionius Episc. Melitæ pag. 125.
Bernardus de Alexandro Theolog. pag. 199.
Bernardus Colnagus Soc. Jesu pag. 84. 206.
Bernardus Catan. Electus pag. 122.
Bernardus Margariti Episc. Catan. pag. 147.
Bertamea Medicus pag. 193.
Blandinus Monacus Scrip. pag. 177.
Blascus de Alagona Miles pag. 149.
Blascus Lancea M. R. C. Jud. pag. 168. 234.
Blascus Statella Soc. Jesu pag. 79.

Blasius Scamacca Miles pag. 152.
Bonaventura Bellinus Theolog. Scrip. pag. 218.
Bonaventura Secca Theolog. pag. 210.
Bonaventura Paternionius Capucc. pag. 4. 510.
Brancas de Branca Medicus pag. 127.

C

Cæsar Gravina Poeta pag. 243.
Calvisianus Consiliaris Siciliæ pag. 60.
Camillus Paternionius Ab. Terranovæ pag. 239.
Carolus II. Hispan. Rex moritur pag. 1.
Carolus Ant. Spinola Prorex Catanam venit p. 4.
Carolus Austriacus Sicil. Rex dicitur pag. 9.
Carolus Borbonius Siciliæ Rex pag. 20. Catanæ Privilegia confirmat 23. Legatos excipit pag. 24.
Carolus Moncata Ab. S. Spiritus pag. 138.
Carolus Romanus Soc. Jesu pag. 94.
Carolus Massa Ab. S. Luciæ pag. 142.
Carolus Paternionius Soc. Iesu pag. 213.
Carolus Mancinus Hist. pag. 246.
Carmelitæ Strictioris Observantiæ pag. 111.
Casimirus Nicosia M.R.C. Jud. pag. 185.
Cataldus Fimia M.R.C. Jud. pag. 177. 243.
Catanæ Privilegia firmantur pag. 4. 23. Catana à peste cavit pag. 28. Præreptos sibi per injuriam illustres Cives dolet pag. 33.
Ceres pag. 256.
Charondas Philosophus pag. 192.
Christophorus de Corduba Saftagus Comes Sicil. Prorex Catanam venit pag. 31.
Christophorus Amicus Rat. Magis. pag. 186. 251.
Chronicus in Pythiis Victor pag. 257.
Clara Cajetana Monialis pag. 92.
Claudius Caryncettus S. Nicol. Ab. pag. 141.
Cola Tifeis Pictor pag. 258.
Consulatus Sicilia Catanæ firmatur pag. 16.
Conradus de Castellis Miles pag. 152.
Constantinus Paternionius Miles pag. 147.
Consalvus Asmundus M.R.C. Judex pag. 188.
Cosmas Nepita Regni Logotheta pag. 176. 240.

D

Damianus Tabusius Theol. pag. 202.
Desiderius la Placa Theol. Carm. pag. 96.
Diploma Caroli Austriaci Jura Academiæ firmantis pag. 12. & seq.
Didacus Maurus J.C. pag. 260.
Didacus Marotta Præses pag. 181.
Dominicus Constantinus Rat. Magis. pag. 189.
Dominicus Guglielminus Poeta pag. 249.

E

Elpidius Episcop. Catanens. pag. 120.
Epiphanius Diacon. Catan. pag. 197.
S. Everius Episc. Catan. pag. 56. 120.
S. Euplius Martyr pag. 56. & seq.
S. Euplus Diacon. Confes. pag. 65.
Euphemianus Casagrande S. Nicol. Ab. pag. 140.
Eusebius Viperanus S. Nicol. Ab. pag. 137.
Eustachius Quintana Episc. in Græcia pag. 137.
Eustachius de Petris Medicus pag. 237.
Eustachius Nicosia Poeta pag. 245.
B. Eustochium Monialis pag. 73.
Euthimius Catan. Metropol. pag. 121.
Eutichius Pacino Augus. Theol. pag. 227.

F

Ferdinandus Paternionius Soc. Jes. pag. 82. 208.
Ferdinandus Fojenius S. Nicol. Ab. pag. 141.
Fœlix de Leonibus Theolog. pag. 210.
Fortis Tedeschinus Miles pag. 150.
Fortunatus Episc. Catan. pag. 120.
Franciscus Amicus Ab. S. Luciæ Leon. pag. 135.
Franciscus Acciarellus Cler. Min. pag. 229.
Franciscus Arrighi I.C. Scrip. pag. 234.
Franciscus Blanditius Soc. Iesu pag. 213.
Francisca Cantarella Monial. pag. 89.
Franciscus Asmundus Cler. Min. Theol. pag. 25.
Franciscus Puglisius Poeta pag. 250.
Franciscus Cajetanus S. Nicol. Ab. pag. 145.
Franciscus de Catania Reg. Ecclesiast. pag. 144.
Franciscus Campixanus M.R.C. Iudex pag. 175.
Franciscus Collo Senior Rat. Magis. pag. 175.
Franciscus Colle Iunior M.R.C. Iud. pag. 175.
Franciscus Gastonus Præses pag. 188. 253.
Franciscus Honoratus Columna Hist. pag. 256.
Franciscus Iudex S.R.E. Card. Sicil. Prorex Catanam venit pag. 2.
Franciscus Monachus Hist. pag. 246.
Franciscus Morabitus Poeta pag. 248.
Franciscus Milanensis M.R.C. Iud. pag. 177. 242.
Franciscus Pappalardus Minimus pag. 93.
Franciscus Provinzalis Regens pag. 170. 236.
Franciscus M. Paternionius M.R.C. Iud. 190.
Franciscus Romanus Ecclesiastes pag. 213.
Franciscus Privitera Theol. Minor. pag. 223.
Franciscus Statella Miles pag. 158.
Franciscus Tedeschinus Poeta 244.
Fridericus Campixanus M.R.C. Iud. 176. 239.

G

Galcattus Bardassanus Miles pag. 159.
Gaspar Fridericus Rat. Magis. pag. 179.

Gaspar

Gaspar Riera J. C. pag. 242.
Georgius Jocnius M. R. C. Jud. pag. 185.
Gilbertus Truillas Thalassarca pag. 152.
Goffredus Riczarus Reg. Consil. p. 160. 231.
Graeci Authores de Patria S. Agathæ pag. 52.
Quam fidem mereantur pag. 41.
Gregorius Caracita S. Nicol. Abb. pag. 137.
Gregorius Motta S. Nicol. Ab. pag. 140.
Gregorius Paternionius Bened. Scrip. p. 212.
Gualtherius de Manfredo Prior pag. 144.
Gualtherius Paternionius Miles pag. 161. 233.
Gualtherius Paternionius Rat. Magis. p. 165. 253.
Guidus de Sancta Regis Legatus p. 144.
B. Guillelmus de Panda Ab. pag. 69.
Guillelmus Ab. Novælucis pag. 134.
Guillelmus Arfalonius Ab. pag. 138.
Guillelmus de Guidone Prior pag. 144.
Guillelmus de Tropia Miles pag. 149.
Guillelmus de Asmari Miles p. 151.
Guillelmus Bonifacius Miles pag. 152.
Gutterres de Nava Miles pag. 161.

H

H*Enricus Aristippus* Archidiac. Cat. p. 143. 147.
Henricus de Asmari Miles pag. 148.
Henricus de Montana S. Nicol. Ab. p. 134.
Henricus de Medicis M. R. C. Jud. pag. 172.
Henricus Statella Miles pag. 156.
Henricus Statella II. Mess. Strategus pag. 165.
Hercules Statella Miles pag. 171.
Hieronymus Ansalonius M. R. C. Jud. pag. 164.
Hieronymus Ord. S. Aug. Magis. pag. 215.
Hieronymus Asmundus Epis. Pacten. pag. 127.
Hieronymus Dragonetti Medicus pag. 242.
Hieronymus de Franchis Theolog. Dom. p. 114.
Hieronymus Gatta S. Nicol. Ab. p. 136.
Hieronymus Fimia M. R. C. Jud. p. 172. 237.
Hieronymus Gravina Miles pag. 171.
Honufrius Marammia Theolog. pag. 199.
Horatius la Torre Regens pag. 182.
Hyacinthus M. Paternionius Castel. Rhetor p. 253.
Hyacinthus M. Paternionius Bonajut. Rhetor p. 228
Hyacinthus Politus pag. 212.
Hyacinthus Ruffus Theol. Dom. pag. 229.

J

J*Acobus* Epis. Mar. Catan. pag. 63.
Jacobus Tedeschinus Messan. Pontif. pag. 118.
Jacobus sive *Jaimus Paternionius* Melitæ Episc. pag. 126.
Jacobus de Soris S. Nicolai Ab. pag. 132.
Jacobus Abbas Maniacensis pag. 133.
Jacobus Borellus Ab. Schalensis pag. 135.
Jacobus Paternionius Ab. Agyrensis pag. 135.
Jacobus Crisafulli Ab. Schalensis pag. 136.
Jacobus Gravina vulgo *Pinus* Miles pag. 154.
Jacobus Bertinus M. R. C. Judex pag. 193.
Jacobus Ventria Theolog. Dom. pag. 199.
Jacobus de S. Philippo Theolog. pag. 232.
Jacobus Romanus M. R. C. Jud. pag. 175. 244.
Jesualdus Guerrerius pag. 113.
Ignatius Amicus Epis. Agrigen. pag. 130.
Ignatius Gallo Præses pag. 183. 249.
Ignatius Paternionius Castel. Poeta pag. 255.
Ignatius Tedeschi Patern. Poeta pag. 248.
Innocentius Russus S. Nicolai Ab. pag. 140.
Interdicti Censura subiicitur Catana pag. 5. Ab ea liberatur, & absolvitur pag. 7.
Joan. Andreas Massa Soc. J. Scrip. pag. 250.
Joan. Baptista Capuccinus pag. 93.
Joan. Baptista Platamonius Ab. S. Nicolai p. 137.
Joan. Baptista Rapisarda Ab. Cavensis p. 142.
Joan. Baptista Paternionius Legatus pag. 145.
Joan. Baptista Platamonius Prorex pag. 157.
Joan. Baptista Seminara Regens pag. 172.
Joan. Baptista Celestis Regens pag. 174.
Joan. Baptista Tedeschius M. R. C. Jud. p. 185.
Joan. Baptista Mina Theolog. pag. 210.
Joan. Baptista Garambia Script. p. 211.
Joan. Baptista de Grassis Script. pag. 214.
Joan. Baptista Basilis Canon. pag. 220.
Joan. Baptista Guglielminus Poeta pag. 228.
Joan. Baptista Motta Medicus pag. 248.
Joan. Baptista Guarneri Poeta Hist. pag. 245.
Joannes Barbutus Medicus pag. 241.
Joannes Riera Medicus pag. 241.
S. Joannes Epis. Syracus. pag. 61. & 121.
Joannes de Primis S. R. E. Card. pag. 115.
B. Joannes de Falco Domin. pag. 73.
Joannes Epis. Pactensis pag. 122.
Joannes de Luna Epis. Catan. pag. 122.
Joannes Cajetanus Epis. Stabiensis pag. 123.
Joannes Piscis Epis. Catan. pag. 125. 201.
Joannes Paternionius Panor. Pontif. pag. 117. 202.
Joannes Primus Abbas Novælucis pag. 133.
Joannes de Castellis Ab. Schalensis p. 134.
Joannes Sassus Ab. Ergii Ben. p. 138.
Joannes Platamonius Abbas Cryptæ pag. 139.
Joannes Raymondetta Ab. Novælucis pag. 139.
Joannes Guerrerius Reg. Ecclesiastes p. 144.
Joannes de Cutellis Reg. Ecclesiast. pag. 144.
Joannes Santonoclius Ab. Montisreg. pag. 141.

Joan-

Joannes Gaglianus Medic. pag. 260.
Joannes Rizzarus Vicarius Apostol. pag. 141.
Joannes Prochitas Miles pag. 148.
Joannes Tedeschius Miles pag. 151.
Joannes Celsa Miles pag. 151.
Joannes Paternionius Regens pag. 153.
Joannes Agoretta Sicil. Quæstor pag. 159.
Joannes Abbatelli Regni Præses pag. 160.
Joannes Tedeschius Just. Locumgerens pag. 160.
Joannes Rizzari J. C. & Script. pag. 160. 231.
Joannes *Gesualdus* Reg. Secretar. pag. 161.
Joannes *Vitillinus* Ration. Magist. pag. 161.
Joannes *de Taranto* Logotheta Sicil. pag. 162.
Joannes *Filingerius* Poeta, & Miles p. 162. 231.
Joannes *Thomas Moncada* Quæstor pag. 163. 233.
Joannes *Statella* Miles pag. 164.
Joannes *Bonifacius* Miles pag. 165.
Joannes *Paternionius* Mess. Stratagus pag. 165.
Joannes *Celestis* Miles pag. 166.
Joannes *de Alexandrano* Miles pag. 168.
Joannes *Thomas Paternò* M.R.C. Iud. pag. 169.
Joannes *Philippus Paternò* M.R.C. Jud. p. 169. 236.
Joannes *Gravina* Miles pag. 171.
Joannes *Platamonius* M.R.C. Jud. pag. 175.
Joannes *Rizzarus* Fisci Patron. pag. 183. 245.
Joannes *Raymundetta* Regens pag. 184.
Joannes *Platamonius* Ecclesiastes pag. 203.
Joannes *de Franchis* Theol. pag. 209.
Joannes *Stephan. Petignanus* Theol. pag. 209.
Joannes *de Auro* Theol. Dom. pag. 240.
Joannes *Ansalonius* J. C. pag. 231.
Joannes *Rainerius* Ecclesiast. pag. 247.
Joannes *Dies* Poeta pag. 233.
Joannes *Nicolaus Rizzarus* Poeta pag. 238.
Joannes *Mercurius* Medicus pag. 240.
Joseph *Asmundus* M.R.C. Judex pag. 186.
Joseph *Raymundus* Canon. pag. 106.
Joseph *Raymundettus* Ration. Magist. pag. 183.
Joseph *Asmundus* Paternó Fisci Patr. p. 254. 191.
Joseph *Ferrera* Theolog. pag. 211.
Joseph *Licata* Script. pag. 224.
Joseph *Coco* Script. pag. 225.
Joseph *Munebria* Poeta pag. 247.
Joseph *Squillacius* Poeta pag. 246.
Joseph *Cumia* M.R.C. Jud. pag. 170. 239.
Joseph *de Judice* Poeta pag. 244.
Isidorus de la Cueva Prorex pag. 3.
Ivenus Electus Catan. pag. 122.
Julianus Episc. Catan. pag. 121.
Julius *Sancius Platamonius* Rat. Mag. pag. 165.
Justinus *Fimia* Script. pag. 212.

L

Laurentius Bolanus Medicus pag. 239.
Laurentius Finochiarus Soc. Jes. pag. 210.
Laurentius Simonetti Ab. Casin. p. 145.
S. Leo Pontif. Rom. pag. 64. 196. 121.
S. Leo Catan. Episc. pag. 121.
Leo á Catana Capuccin. pag. 77.
Lis de Patria S. Agathæ pag. 35.
Luc. Manlius Sosis pag. 195.
Ludovicus Batteatus Bened. 104.
Ludovicus de Angelo Reg. Cubic. pag. 161.
Ludovicus Scotus Theolog. pag. 224.

M

Marcellus Columna Min. Scrip. pag. 219.
Marcus Anton. Pulvirenti Ab. Placę p. 140.
Marcus de Castellis Miles pag. 166.
Marinus Guerrerius Ab. S. Placidi pag. 133.
Marius Burgius M.R.C. Jud. pag. 177. 242.
Marius Cutellus Fisci Patron. pag. 180.
Martialis Epis. Cat. pag. 123.
Mauritius Episc. Catan. pag. 121. 197.
SS. Martyres Catanenses pag. 34.
Matthæus Episc. Pactensis pag. 124.
Matthæus de Pompeo Ab. Novæluc. pag. 136
Matthæus Silvagius Theol. Scrip. 203.
Matthæus Tomasellus Theol. pag. 203.
Menologium Basilii Imp. pag. 46.
Metaphrastis Acta suspecta pag. 50. 45. 47.
S. Methodii Episc. testimonium pag. 51.
Michael Juvinus Histor. pag. 241.
Michael Florius Soc. Jesu pag. 97.
Michael Corvaja M.R.C. Jud. pag. 189.
Michael Jojenius Script. pag. 222.
Mons Pietatis Catanæ statuitur p. 22.

N

S. Nericia, & Soc. mm. pag. 61.
Nicolaus Asmundus Theol. pag. 202.
Nicolaus Ardizonus M.R.C. Jud. pag. 189.
Nicolaus Catanutus Med. pag. 245.
Nicolaus Costarella M.R.C. Jud. pag. 177.
Nicolaus Lauria Miles pag. 151.
Nicolaus Intrigliolus M.R.C. Jud. 196. 241.
Nicolaus de Lucia Theol. Carm. pag. 201.
Nicolaus Marinus Scrip. pag. 199.
Nicolaus Paternò Miles pag. 156.
Nicolaus de Piscibus Miles pag. 156.
Nicolaus Piscis Urinator pag. 257.
Nicolaus Riccioli Ab. Castricen. pag. 148.
Nicolaus Ritzonus Scrip. Carm. pag. 198.
Nicolaus Riccioli Theol. & Scrip. pag. 220.

Nico-

Nicolaus de Rocca S. Nicol. Ab. pag. 131.
Nicolaus de Sbarris S. Nicol. Ab. pag. 137.
Nicolaus Stizzia Epiſ. Cephal. pag. 129 266.
S. *Nicolai de Arena* Monaſt. pag. 21.
Nicolaus Tedeſchius S.R.E. Card. pag. 111. 113. 200. & 226.
Nicolaus M. Tedeſchius Archiepiſ. pag. 118.
Nicolaus Tezanus Medicus pag. 251.
Nicolaus Spezzapane Medicus pag. 242.

O

Obeliſcus Ægyptius Catanæ pag. 22.
Octavius Jacnius Prior Barlotta pag. 171.
Octavius Archangelus Hiſtor. pag. 240.
Octavius Sapientia Ab. de Fico 140. 211.
Octavius Tedeſchius Mil. fol. 219.
Octavius Rizzarus Poeta pag. 243.

P

B. *Paganus* Monachus Bened. pag. 9.
Panormus Patria S. Agathæ falſo dicitur pag. 37. & ſeq. Eidem Græci ſuffragantur. pag. 36.
Patria S. Agathæ Catana aſſeritur pag. 39. de Patria S. Agathæ antiqua eſt controverſia pag. 34. & ſeq.
Paſchalis Auguſta Theol. pag. 203.
Paulus Camuglia Eremit. pag. 75.
Paulus Sigona Sacerd. pag. 75.
Paulus à Catana Capuccin. pag. 77.
Paulus Gravina Ab. S. Nicol. pag. 139. 205.
Paulus Gravina II. Ab. S. Nicol. pag. 140.
Paulus Caudius Pirata pag. 260.
Peſtis Meſſanam affliat pag. 24. & ſeq. Ceſſat 27. Ad eam vitandam Catanenſes preces inſtituunt pag. 28. & ſeq.
Petrus Galletti Catanæ Epiſ. pag. 10.
Petri Siculi de Patria S. Agathæ teſtimonium pagin. 52.
Petrus Montana Ab. S. Nicolai pag. 75.
Petrus Calius Ab. Licodianus pag. 131.
Petrus Ruffus Ab. S. Nicol. pag. 131.
Petrus Rizzarus S. Nicol. Ab. 134.
Petrus Gravina Ab. S. Philippi Mylor: p. 143.
Petrus Celeſtis Miles pag. 160.
Petrus Celeſtis II. Miles pag. 160.
Petrus Rizzarus Legatus ad Reg. pag. 167.
Petrus Viviciitus Legat. ad Reg. pag. 171.
Petrus Rizzarus Reg. Conſil. pag. 174. 238.
Petrus Amicus Præſes pag. 178. 243.
Petrus de Gregorio Regens pag. 181.
Petrus de Paula M.R.C. Jud. pag. 190.
Petrus Morabitus Poeta pag. 203.
Petrus Honoratus Theol. pag. 204.
Petrus Paternionius Cler. Teat. pag. 224.
Petrus Joſeph Lauria Canon. pag. 207.
Petrus Squillacius Hiſt. pag. 246.
Petrus Pavonus Poeta pag. 238.
Petrus Capaci Poeta pag. 247.
Petrus Gravina Poeta pag. 234.
Petrus Diſcordanus Hiſtor. pag. 237.
Philippus V. Rex inauguratur pag. 1. Catanæ Privilegia confirmat p. 3. Ejuſdem Claſſis Siciliam repetit pag. 7.
Philippus Sidoti Epiſc. Catan. deſign. p. 7.
Philippus Rizzarus S. Nicolai Ab. pag. 132.
Philiſton Medic. & Philoſ. pag. 194.
Philiander Medicus pag. 193.
Philippa Catanenſis pag. 258.
Pirronus Jocnius Miles pag. 155.
Pirruchius Lancea Miles pag. 168.
Pirruchius Jhenius Miles pag. 169.
Placidus de Aquila S. Nic. Ab. pag. 133.
Ptolomæus Gallina Mathem. pag. 233.
Python Poeta, & Orator pag. 195.

R

Raphael Cannavaus Theolog. pag. 211.
Raymundus Rubi Epiſc. Catan. pag. 9.
Raymundus Jocnius Miles pag: 165.
Raymundus Moncada Cancell. p. 164.
Raymundus Ramundettus Regens p. 173. 237.
Raynaldus Tedeſchius Miles pag. 154.
Remigia Scammacca Monial. pag. 102.
Riccardus Rizzari Ab. Scalenſis p. 135.
Ricibardus Epiſcop. Militenſis pag. 122.
Robertus Epiſc. Catan. pag. 122.
Roccbus Bertinus M. R. C. Jud. pag. 185.
Rogerius Ocho Epiſ. Catan. pag: 122.
Rogerius de Bumbello Ab. S. Nicol. pag. 131.
Rogerius de Aſmari Miles pag. 151.
Romanus Jordanus Ab. S. Nicol. pag. 140.
Romualdus Rizzarus Ab. S. Nicol. pag. 141.
Romualdus Rizzarus Eccleſiaſtes p. 227.

S

S. *Sabinus* Epiſc. Catan. pag. 65. 121.
Santorus Oliva Canon. J. C. p. 221.
S. *Saturus* Martyr, & Socii pag. 56.
Scipio Mollica Theol. pag. 211.
Scipio Portius Philoſophus pag. 242.
Scipio Sapientia J. C. pag. 243.
Sebaſtianus Aſmundus Ab. S. Placidi p. 138.
Seraphina Portia Monial. pag: 81.
Seraphinus Columbus Erem: pag. 90.

Seraphinus Ferrerius Ab. Milit, pag. 140.
Serapion Epif. pag. 61. 65. 125.
Simon de Piscibus Prorex Sardin. pag. 163.230.
Simon Amatore Theol. pag. 199.
Sodalitas Septem Dolorum. B.M.V. pag. 4.
Sodalitas Christianæ Missionis pag. 23.
Stephanus Bolanus Theol. pag: 203.
Stephanus Lazarus S. Nicol. Ab. pag. 141.

T

Tatini Cler. Regul. Catanæ pag. 9.
Terræmotus in Sicilia pag. 34.
Theodorus Epifc. Catan. pag. 121.
Theodosius Masutius Ab. S. Nicol. pag. 140.
Thomas de Erbes Epifc. Syracuf. pag. 123. 200.
Thomas de Asmari Theol. pag. 124.
Thomas de Bonifacio Prefes pag. 188.
Thomas de Bonifacio Ab. Balnear. pag. 138.
Thomas de Guerreria Ab. Linguegrof. pag. 138.
Thomas de Guerrerio Apoft. Scrip. pag. 145.
Thomas Paternionius S. Jofeph Ab. pag. 145.
Thomas Platamonius Meffanæ Strategus p. 165.
Thomas Barrefius Miles pag. 180.
Thyrsis Æneus Poeta pag. 192.
Thomas Tedefchius pag. 219.
Tranquillus Gravina Poeta pag. 235.

V

Alerianus de Franchis Ben.Theol.pag. 229.
Vassallus de Gravina Miles pag. 166.
S. Veneria Martyr pag: 61.
Veraldus de Roota Poeta pag. 237.
Victorius Amedeus Siciliæ Rex 5. Catanam venit, ejusque Privilegia firmat pag. 6.
Vincentius Raymundus Soc. Jef. pag. 98.
Vincentius Cultellus Epif. Catan. pag. 128 205.
Vincentius Paternionius Legat. ad Reg. pag. 181.
Vincentius Finochiarus Præfes pag. 185.
Vincentius Paternus Gener. Vicar. pag. 191.
Vincentius Michaelangelus M.R.C. Jud. pag.199.
Vincentius de Leone Script. pag. 204.
Vincentius Finochiarus Theolog. S. J. pag. 213.
Vincentius Moncada Soc. Jef. Theol. pag. 222.
Vincentius Maurus Hiftor. pag. 245.
Vincentius Scammus J. C. pag. 238.

X

Averius Acciarellus S. J. Theol. pag. 224.
Ximenius de Alexandro Trojanus Epifcop. pag. 126.



Pag.	Lin.	Errata.	Corrige.
12	1	MDCCXXII.	MDCCXXXII.
14	9	Calorum	Carolum
20	30	XVIII.	XV.
25	20	afflatum	afflatam
31	25	paucofque exceptis	paucifque exceptis
32	23	confpiendum	confpiciendum
45	11	B'onditius	Blanditius
60	5	Aguftas	Auguftas
87	26	Aquilera	Aguilera
90	29	Sabato	Sabbato
91	5	Elifabet	Elifabeth

Pag.	Lin.	Errata.	Corrige.
93	8	Capucinus	Capuccinus
107	in marg.	funere	funera
112	17	interpetratus	interpretatus
125	21	Bafilienfem	Bafileenfem
140	21	Auftrica	Auftriaca
187	20	Chriftoforus	Chriftophorus
189	20	Catherinæ	Catharinæ
213	13	Gefualdum	Jefualdum

Alia, si quæ occurrunt, prudens Lector emendet.

FINIS.





